


PATENTIBUS OMNES

ABB: IO: BAPT: PACICHELLII
COMMENTARIVS
DE IVRE HOSPITALITATIS
VNIVERSO.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Io Wilhelmum Friessem Anno M. DC.









ABB. JO. BAPT. PACICHELLII

J. ac Th. C. in Vrbe Advocati, & in ampliss. nuper institut. apud Agrippinates Pacis Comitiis, Apostolicæ Legationis Auditoris Generalis

DE IVRE HOSPITALITATIS VNIVERSO

Veteri scilicet, novo, publico, privato, voluntario, necessario, gratuito, ac mercenario.

Commentarius Juridico-philologico-theorico-practicus, Ad ornat. Clement. Quia contingit de Relig. Dom.

IN QUO

Quicquid in urbe non modo, sed in orbe Christiano & inter Barbaros ad Hospitalitatis tum priscæ, tum recentioris materiam: AEdium cujusvis generis hospitalium constructionem ac regimen: Hospitum etiam Regularium ac militum, & ferè omnium beneficium seu privilegium, nec non cauponariæ artis exercitium; Iuxta germanam theoriam ac multiplicem praxim, variis consuetudinibus, statutis municipalibus, Bullis Pontificiis, Imperii Recessibus, decretis Parlamentariis, diversis Rota, præsertim Romanæ, decisionibus, sacrarum quoq; Congregationum resolutionibus illustratam facis, accuratè ac methodicè perpenditur.

Plura verò adjunguntur

De Peregrinis, Expositis, Mendicantibus, Blateratoribus, aliaque perutilia ex thesaurifodina Antiquitatis eruta, ac novissimis observationibus deprompta, nunquam hactenus prælo typographico subjecta.

COLONIAE VBIORVM,

Typis WILHELMI FRIESSEM, Civis ac Bibliopolæ

ANNO Jubilæi M.DC.LXXV.

Librorum Auctoris editorum Elenchus.

Iuridici.

SChediasma De iis, qui nullo modo possunt in jus vocari ad ll. prior. de in Jus Voc.
Commentar. ad tit. Jur. De Re milit.
Uberiores annotationes ad l. fin. De Divis. rer. & qualit.
Tractat. Iuridic. De Distantiis ad l. ult. fin. Reg. cum Decis. Ro. Rom.
Consultationes Juridicæ diversæ.

Historici ac Politici.

Apparatus ad Historiam Regni Peruviæ.
Plures virorum ac mulier. illustr. Historiæ.
Epitome vitar. Sanctor. quos Clemens X. sacris fast. adscripsit. Italicè.
Historiola prophano-sacra Montis Soractis.
Elementa Politicæ.

Philologici ac Miscell.

De scientiarum omnium affinitate ac usu necessario ad perfectionem, Epistola.
Morale epistolicum quaternarium.
Josias in Vaticano, sive Panegyris ad Summum Pontificem Clement. IX
Religionis ac beneficentiæ radii in Sanctiss. Pontifice Pio V. Oratio panegyrica.
Orationum Academicar. Vol. 1. Italicè.
Divini amoris portenta in Rosa de S. Maria Virgine Limensi, ac primo novi orbis sanctitatis flore.
Chirolitargia: seu Lucubrationes de variis Manûs ministeriis.
Diatribe De Pede.
Comica & Poetica nonnulla.

Et alii plures facti sunt ac faciendi juris publici.

Serenissimo ac Eminentissimo

BERNARDO GUSTAVO,

S. R. E. CARDINALI, S. R. I. PRINCIPI,

Inclytissimarum Ecclesiarum *Fuldensis*, *Campidonensis*, & *Syburgensis Archi-mandritæ*, *Abbati*, Administratori; Augustissimæ Romanorum *Imperatricis* Archi-Cancellario & Mareschallo;

Per Germaniam & Galliam PRIMATI,
In Baden Durlach & Hochberg MARCHIONI,
In Sausenberg LANDGRAVIO;
In Eberstein & Sponheim COMITI,
In Rötelen, Badenweiler Lachr, Malberg &c. DOMINO,

Metropolitanæ Electoralis *Coloniensis*, nec non Cathedralis *Argentinensis*, *Leodiensis*, & *Passaviensis* respectivè CANONICO, & Capitulari. *&c.*

Domino Clementissimo,

Abbas Jo. Bapt. Pacichellius F.



Ircumferenti mihi, & per Ecclesiam, & per Imperium oculos, disquirentique hujus Commentarii *De Iure Hospitalitatis universo* Patronum, multis videor titulis non cumulativè tantùm, ut ajunt, sed & privativè ad SERENISSIMAM VESTRAM EMINENTIAM duci, imò trahi. A quâ, quoniam *Ianuis patentibus omnes* cujuscumque status, sortis, conditionis ac professionis hospitaliter admittuntur, hinc in spem erigor indubiam fore, ut nec ego, de Hospitalitatis jure commentans, excludar. Materia multa est fori mixti: Patronum exigit utroque in foro potentem. Togam ornat Hospitalitas, ac sagum Principis. Togatam SERENITATIS VESTRAE, suos erga subditos, perspectam habens GERMANIA coelegit nuper calatis comitiis sui adversus *Thraciæ tyrannum* in VNGARIAM missi militis Com-moderatorem. Miles is deprædicat, & nunquam intermorituri annales tuum, velut *Martia-*

lis Elia, in religionem zelum. Simul atque verò baltheum Martis rubicantem cum nigro D. BENEDICTI ſcapulari, & galeam cum infula ABBATUM Imperii primâ, apud BUCHONIAM commutaſti; evibraſti quaquaverſum ampliùs Ducalium qualitatum radios, ut mox CAMPIDONENSIS Eccleſiæ in Adminiſtratorem (jam ABBATEM) SYBURGENSIS libera Abbatia in COADIUTOREM depopoſcerint, lætantes quòd impetrarint; ſuorum in album CANONICORUM CAPITULARIUM METROPOLITANA ELECTORALIS, nec non CATHEDRALES reſpectivè COLONIENS. ARGENTINENS. LEODIENS. & PASSAVIENS. Eccleſiæ admiſerint. Taceo, quòd homines ſacri ac prophani, incolæ, accolæ experiantur, & admirentur Patrem, Principem, & Antiſtitem φιλόξενον, id eſt hoſpitalem; Vt non immeritò urbis & orbis applauſu cunctæ jam enarratæ dignitates in SERENITATEM, & EMINENTIAM VESTRAM confluxerint: & verè quicquid earum, ab hinc ſæculum & ultrà, à Ser.ma MARCHIONALI Domo

BADEN dilatum, jam neutiquam ſit ablatum; interruptusque per Neo-tunc exurgentis Religionis aſſumptionem, honorum curſus aditúsque, nunc velut effractis portis pateſiat EMINENTIAE VESTRAE. In qua & nunc reviviſcit MAIORUM, revireſcitque Catholica HOSPITALITAS, concomitans miſericordia, & annexa Clementia; in eamque præſtantem equidem, virtutis gloriam *Sereniſsima Familia* hæreditario jure ſucceſsit. Hæc inquam Familia, cognatorum agnatorumque Dodecade ſtemmatum Regalium modernæ Europæ Chriſtianæ, ex antiquiſsimis *Zeringiæ* Ducibus; *Habspurgi* Comitibus, *Auſtriæ* Archi-Ducibus, non aliundè, quàm de prima & vetuſtiſsima FRANCORUM Nobilitate ex *Alſatiæ* Ducibus *Pharamundo* coævis deducta; atque ab ERNESTO Tritavo tuo cum Fratre ſuo dividente priùs diſſecta, ſuis Hochenbergenſis ditionis Hæredibus à loco exſtructæ arcis, & translatæ Sedis DURLACH agnomen impoſuit. Quanquam & ITALIA ſibi meritò gratule-

tur, quod indè cum *Friderico* Imperatore *Hermannus* Marchio Veronenſ. egreſſus *Imutham* ultimi Badenſ. & Hochenberg. Comitis Filiam, non ſolùm cum bonis acceperit, nomenque ſtemmatis continuarit, ſed inſuper ſublimi MARCHIONIS Imperiique Principis idipſum charactere exaltarit. Verùm & genus, & proavos mitto. Sereniſsime PRINCEPS, CARDINALIS Eminentiſsime ſatis innoteſcis PONTIFICI à propriis talentis, gratus es IMPERATORI, Divæ AUGUSTAE magnus ARCHI-CANCELLARIUS, cujus & vertici ſublimiſsimum auguſtiſsimi diadematis lemniſcum obduxiſti, optatus IMPERIO, Ordini S. BENEDICTI deſideratus, BONIS omnibus amatus. Nolo eſſe longior, & ne debeam eſſe, patere clementiſsimè ſub ſereniſsimi nominis tui ſplendore & auſpiciis in lucem prodire has meas quales quales lucubrationes, undecumque pro elucidatione *Clementinæ Quia contingit de Religioſ. Domib.* conquiſitas; ejus ſaltèm in honorem CLEMENTIS, qui

in

in album PP. Purpuratorum ad preces Invictiſsimi Rom.Imperat. LEOPOLDI I. nomen tuum inſcripſit, rubeoque per eum caput ſolemni ritu purpuravit byreto. Eo de Hoſpitalitate ago tempore, quo ex orbe univerſo ad Apoſtolorum limina peregrinationes fiunt propter annum IUBILAEI ordinarii, per CLEMENTEM VI. à centeſimo BONIFACII ad quinquageſimum,& mox ad vigeſimum quintum per PAUL. II. revocati annum; & in quos fermè omnes ſecutos, non ſine myſterio, incidêre Pontifices nomine CLEMENTES, ipſi plerique PACIFERI. CLEMENS ſiquidem VI.quod fuit operoſum admodùm votum, V. revincit inter ſe decertantes *Galliæ*, & *Angliæ* Coronas. VII publicat & vivit alterum ſuperioris ſæculi Iubilæum, ſub eoque ipſo tandem poſt quadriennium Pax Europæ reddita, *Cæſare* & *Gallo* eandem complectentibus & firmantibus. VIII confluente ex orbe univerſo innumera hominum etiam Principum turmâ,primum excurrentis nunc ſæculi Iubilæum aperuit,

memorabilique Europam beneficio biennio antè devinxerat, conciliatis inter se duobus potentissimis, *Galliæ* scilicet *Hispaniæque* Regibus. IX. authoritate ac mediatione coaluit pax subitanea Aquisgrani post bellum inopinatum inter altissimè satos Monarchas. Quæ quoniam rursus dissiliit ante sesquennium, & jam Europa penè universa armorum strepitu quatitur, optat speratque futurum, ut Sanctissimus Pontifex CLEMENS X. ominosus sit & fœlix, pacemque inveniat indefessâ, fideliique SERENITATIS, EMINENTIAEQUE VESTRAE, Partium velut *Belligerantium* proximè agnatæ, ac inter Martis incendia anno 1631. genitæ, cooperatione. Votum est hoc universi orbis Christiani; utinam efficax, pro quo supplex Principem rogat Pacis: insuper ut prosperrimos supremæ Tibi tuæ Dignitatis annos, ultra Iubilæum Paulinum, cumulatiorémque indies virtutis & gloriæ segetem largiatur, in Ecclesiæ, Imperii, Patriæ, Ordinis bonum. Intereà exile hoc Xeniolum humilli-

millimè ad manus Serenissimæ EMINENTIAE Vestræ depono, æternæ meæ auctoramentum observantiæ. Fœlix si illud ac me ipsum unâ gratiosissimâ favoris, ac benignitatis aurâ prosequi haud dedignetur: non erit profectò insperandum, quòd gloriosum immortalitatis gaudium adjungatur.





LECTORI

Ingenuo & Erudito χαίρειν.

DUm sarcinas colligimus, atque itineri nos committere meditamur, ut de nostro plane constet scribendi sensu, nonnulla juvat, Ingenue Lector, tuos ob oculos ponere. Commentarii hujus evulgandi consilium vertendum fuit, nobis paulo ante invitis, in tempus præsens, idque incredibili eorum impatientiâ, qui apud Italos Lares cætera superioribus annis prælo subjecta, sive *juridica* sive *historica* sive *philologica*, demum vero apud Ubios *Chiroliturgiam* animo haud illiberali perlegerant, & procrastinationes quas data operâ nectebamus, profligari tandem posse, urgentes publicam lucem *manu*, quod ajunt *de tabula* censuerunt. Difficultas omnis versabatur in augendis Italicis, juxta primum concepta & quodammodo consarcinata, prochiris, quibus ea cuncta prorsus deerant quæ ad Romanæ in *Anno Iubilæi* per orbem Christianum, celeberrimæ quidem, *Hospitalitatis* mantillam facere visum erat. Plurima quoque ad operosiorem ipsiusmet Commentarii absolutionem desiderabantur, parum aut nihil suppetentibus Archivis ac Musæis, quæ, sive propriâ industria cum Germaniam, utrumque Belgium, Angliam Galliamque peragravimus, sive amicorum ope circumspicere moris fuit, temporibus forrasse difficillimis, quibus instructissima olim nonnulla, nunc vestigia non modo priscæ celebritatis, verum

ſocordiam tantum ac neglectum oſtentant: & propterea ſuus ſatis obvius fatorum timor. Cum tamen materiam nunc ſuperare opus non valeat, quid tamen ſit, quod pro poſſibili ſtudio promitur, æſtimare unice poteris ſi *Hoſpitalitatis* virtutem ſpectaris præſtantiſſimam profecto quippe quæ magnum miſericordiæ munus, potiſſimum erga corpora, variis operibus exercet; eos qui inopiâ præmuntur ſublevat, humanitatem & benignitatem peregrinis adjungit, conformem undequaque ſui generis adjuvat, feras ac beſtias iis idonea miniſtrando non expellit: cujus nomen propitium exiſtimatur adverſus egeſtatis malorum omnium compendii & pernicioſiſſimæ ægritudinis nocumenta, magna interim cum uſurâ quicquid hoſpitibus tribuitur Deo rependente. Quod ſi præclara intuens mirari mens noſtra ſapienter conſueſcat, grande aliquid *Hoſpitalitatem* continere videbis quod naturæ met inſtinctu, Divino præcepto ac Juriſplacito ad curioſum provocat ſtudium, ſiquidem tanta beneficia aut una ipſa, aut nulla alia virtus conferre poteſt: idcirco, ut maneret ejus in ſæcula obſervantia, Ordines Hoſpitalarii fundati, tum publicum tum privatum hoſpitum jus ſive commercium ad poſteros non ſemel devolutum; Nec alia loco ac tempori congruentior materia haud dubie ſeligenda erat, quam Ampliſſimus hîc Pacis *Legatorum* conſeſſus perſpexit, ac immerita honorificentiâ confeſtim probavit. Unde factum eſt, ut publico exercito munere, horis ſaltem ſubſecivis jucundiſſimum haud quaquam ſcribendi laborem ſubterfugeremus; ſiquidem nobis jam pridem in aula Romana verſantibus, prudentiſſimum *Clementis IX.* Summi recolen-

dæ

dæ nec unquam interituræ memoriæ Pontificis effatum animo insculptum fuerat, ut scilicet crebris à publico vacationibus Pictores eos sedulò imitaremur qui tabulas continuo ad proprium usum exornant, ut uberiori tempestati jure provideant. Quemadmodum enim rerum omnium humanarum, ita ingenii fœtuum suæ quoque sunt vices: quod si secundæ ut vellemus non semper accurrant, expectandum donec instaurentur. At eruditum saltem ex philologicis, quod nobis consuetum, moliti sumus commentarium, tum ut sacrosancta vetustatis jura, ad commendatissimum Disertorum Prudentum præscriptum, explicaremus; tum ut ingenuo cuilibet nec fuco obducto Legum Candidato daretur utile dulci. Minimi autem facimus forenses Rabulas, qui illotis manibus purissimos Jurisprudentiæ fontes attingunt, atque ex immundis Leguleiorum lacunis materiam garriendi potius hauriunt quam disserendi impudentissimè clandestinis, quod peius, artibus otioque sapienti neglecto, dies molestissimis textuum recitationibus, nihil scilicet agendo, terunt, in magistrorum fortasse verbis qui in jure philosophari nesciunt addicti plurimumq; hallucinati. Eorum causâ mirum non est si (ut olim Plinius eleganter de æris artificio) *cum ad infinitum* præclaro hoc sæculo *operũ pretia creverint, autoritas artis ferè extincta est; quæstus enim causa, ut cætera exerceri cœpta quæ gloria solebat.* Nonnulla vero quæ ingenuitatem tuam ad exiguos penates nostros invitare queunt (eos enim summa semper humanitate implebis pergratus Hospes) hîc subducuntur, novitas scilicet nec inutilitas argumenti, brevitas quâ summopere gaudent moderni, & non pauca quæ alias la-

tuere

tuere prælo typographico haud indigna. Iniquissima enim judicantur eorum in hoc ævum naturâ sane constantissimum convicia, qui actum esse inquiunt, nihilve sub sole novum; quam fallaciam moralis sapientiæ præstes Seneca exquisitè olim cernens, hoc modo refutavit: *multum adhuc restat operis multumque restabit, nec ulli nato post mille sacula precludetur occasio aliquid aliud adjiciendi. Sed etiam si omnia à veteribus inventa sunt, hoc semper novum erit usus, & inventorum ab aliis scientia & dispositio.* Et idcirco, ipso duce *agamus bonum patrem familias, faciamus ampliora quæ accepimus, major ista hareditas à nobis ad posteros transeat.* Verum si clarus sit tantum titulus, cætera exanguia ut de multis idem fatebatur, nos excusatos habeto: sin autem obscurior appareat charta quam par esset opusque in prælo mendosum, memor esto intervenientis belli, quod innumera ferme Literatorum molimina vastavit, perque navis mercatoriæ cujusvis excursum Argentorato indictum, ablatâ nobis meliori papyro, typographicæ rei justitium quoddam fecit. Aliam demum hæderam non expetunt nostra quam benevolentiam tuam, quæ si hoc loci, quemadmodum etiam atq; etiã rogamus, præfigatur, nobismet potiùs quam bonis artibus gratulabimur, remque literariam imposterum, bono Deo auspice, pro virili exornare pergemus. Utinam fructum, ex Divinæ gloriæ bonique publici accessione, semper optatum opella hæc nanciscatur.

Vale.

AD LIBRUM COMMENTARIUM

Clarissimi Abbatis

IOANNIS BAPTISTÆ PACICHELLII,

DE JURE HOSPITALITATIS.

Hospitij dum jura sagax alterna recenses,
Seu veteri ritu tradita, sive novo,
Charta Pacichelli longos aditura nepotes,
Qua secat aërium Fama volucris iter;
Vade, Liber, certusque tui cape præmia lucem;
Præmia, limatum quæ sibi poscit opus.
Vade fugax latebræ per apertum laudibus orbem,
Et fer Romuleum docta sub ora decus.
Sæcula subscribant vigilato cana labori,
Teque velit quævis bibliotheca suum.
Post latum, quod obivit herus tellure saloque,
Latiùs in populos se tibi pandit iter.
Innumeras ubicumq; domos sic plausibus imple,
Hospitii constent ut tibi jura tui.

NICOLAUS Heinsius D.F.

VIRO CLARISSIMO,
in Vrbe diu celeberrimo Advocato, jam etiam per orbem, & aulas à calamo Iuridico-Philologico innotescenti

D. ABBATI IO. BAPT. PACICHELLIO,

Doctissimis æquè ac curiosissimis lucubrationibus super Jure Hospitalitatis universo *Clementinam* Quia contingit: De Relig. Dom. ornanti

ApposVIt
DebItæ obserVantIæ & honorIs
anatheMa
Henr. BreVVer S. Th. LICent.

Hospes dicitur, & qui *recipit*, & qui *recipitur*. ff. de exer. act. L. 1. §. Magistri.

NOn *pede*, non *oculo*; peregrè non *aure* vagatus
Lector: *hospitij jura* tenere cupis?
Haud opus ut *terras, libros, aulasve peragres*:
Hîc Author pro te præstitit ista libri,

EIDEM

ELOGIVM CONGRATVLATORIVM
super novo Tractatu
De universo Hospitalitatis Iure.

Gratus ad hospitium nostrum Pacichellius hospes
Tendis pacificus pacis amore flagrans
Dum bello flagrat Germania, jura ministras
Hospitij, docta conglomeratâ manu.
Hospite tam claro fuerat Germania digna;
Hinc è germano pectore pignus habet
Qui varios scripsit libros, pluresque daturus
Illustris proavis, orbis & urbis amor.
Vidimus hunc Roma Themidi conferre Minervam,
Agrippina videt laurea serta strui.
Gallia *cum* Belgis *hunc magna* Britannia *vidit*
Hospitij gratum magnificumque virum.
Miratur Latium, *sed nec inhospita tellus*
Floret Teutonidum hoc Hospite conspicuo.
Plaudite Germani, *Galli, Belgaque Britanni,*
Plaudite concives, & date vota simul:
Roma *tibi meritos jam dudùm donet honores,*
Et reducem læto gloria fine beet.

Honoris & amicitiæ causâ
scribebat

JOANNES HENRICUS HERWEGH,
Iur. V. Doct. & Advocatus Coloniensis.

TETRASTROPHE

Ejusdem ad eundem in Italiam reducem.

CLarum paternæ lumen *Hetruriæ*
Omnisque fulgens *Ausoniæ* decus.
Pisana te themis merentem
Excoluit, ſtupuitque *Roma*.

Et jure; quidni ſuſpiceret Virum
In cujus imis pectoribus ſedet
Aſtræa cum Muſis novenis
Unanimi copulata nexu.

Belgæ potentes, *Anglia* nobilis
Luſtrata pugnax & tibi *Gallia*
O Pacichelli nunc bicornis
Te reducem veneratur amnis;

Sibique gaudens ſuſcipit hoſpitem
Uſque expetitum fauſta *Colonia*
Mox *Hoſpitalitate* utraque
Munere magnifico beanda.

COMMENTARII ARCHITECTURA,

Sive

LIBRORVM, & CAPITVM SYLLABVS.

PRÆLIMINARIA.

LIBER I.

LIBER II.

CAPI-

LIBER III.

LIBER IV.

CAPITA.

XII.

LIBER V.

De mercennario Hospitalitatis Jure.

CAPITA.

CONCLUSIO.

CENSURA.

COmmentarius hic *De Iure Hospitalitatis universo* dignissimus est, qui publico privatoque bibliothecarum hospitio, tanquam amoenissimus juxta ac utilissimus, ideoque gratissimus excipiatur. Ita censeo Coloniæ Agrippinæ 9. Ianuarii 1675.

JOANNES FRANCKEN SIERSTORPFF, *Metrop. Eccl. Colon. Canonicus, Capit. Lib. Censor Ordinar.*

PRÆ-



PRÆLIMINARIA AD COMMENTARIVM:

HOC EST

DE PRÆSTANTIA IVRIS CANONICI

De CLEMENTE V. *Textûs nostri Auctore, ac de utroque respectivè compendiaria historica, topographica & chronologica*

DISSERTATIO.

ANtequam subsumpta nostri Textûs aggrediamur Annotata, paucis in operis vestibulo Juris studiosos, ut tutiori methodo, quæ subjiciuntur, perlustrare possint, conventos volumus: quod enim in Scholijs ad *Iur. Civilis Titt. de In Ius Voc. de re milit. & ad l. ult. fin. reg.* proficuo fortasse, ut speramus, ingenij meditamento ac labore à nobis præstitum fuit, hîc novo elaborationis genere imitandum suscipimus; plenior enim, nonnullis explicatis, utiliorque in sequentibus eruetur conjectura.

Jus igitur Canonicum, quod ad Cæsarei distinctionem vocatur quoque Pontificium ex Romani Imperij ruina, & Romanorum Pontificum potentia nonnulli ortum volunt, translatâ nempè Imperij Sede Româ Constantinopolim, dum peculiari quiete Principes ac populi sacrorum canones Conciliorum, SS. PP. scripta ac sententias, decreta &

constitutiones Romanorum Pontificum avidè amplectebantur, & observare satagebant, ut fusiùs edisserit *Arthur. Duck Anglic. presb. in lib. de usu & anthorit. Iur. civ. Roman. in domin. Princip. Christian. lib. 1. cap. 7. n. 1. & 2.* Cùm ex eo tempore Summi Pontifices consultationibus forensibus, adinstar olim Imperatorum, rescribere cœperint, fortè quia non omnium decisio ex Patrum & Conciliorum fonte hauriri valeret; eorumque rescripta *Epistolæ decretales* nuncupabantur. Hoc tamen verum censerem juxta formam, quâ Jus Canonicum pluries in lucem emanavit; si enim primævam ejus institutionem introspicere conabimur, longè vetustior erit, utpotè cum ipsismet Ecclesiæ incunabulis, quo tempore etsi potens non multum opulentiâque fultum Petri solium, & à nequissimis ethnicorum injurijs omninò vindicatum, authoritatem nihilominus Pontificiam in rebus operosissimis, maximè quoad morum censuram adhibitam certi juris est, Ecclesiasticique docent Annales; imò Canonica ipsius decreta in Patrum primitivorum antiquæ legis sententijs quodammodo fundata, ut in jure met naturali ac divino radicentur, abs re apertissimum planè fit.

Hujusmodi verò scriptas leges, quas *Corpus Iuris Canonici* appellamus, plures egregios quidem compilatores habuisse cunctabundum non est, primaque honoris palma meritò tribuenda foret Gratiano monacho Bononiensi, qui post improbum sanè laborem Burchardi Wormatiensis Antistitis, & Ivonis Episcopi Caruntensis, omnium consensu auctor Decreti indigitatur sub Eugenio III. circa annum æræ Christianæ 1157. ut colligitur ex *Gloss. ad cap.*

post

post appellationem 2. *q.* 1. & notat *Felin. in cap.* 2. *n.* 43. *de rescript.* Nisi frequentibus tot erratis, quod sanè dolendum, scateret; *Covar. lib.* 4. *var. res. cap.* 11. *Cont. in præfat. decreti*, & doctissimus *Ant. Augustin. in lib. de emend. Gratian.* qui unanimiter causam referunt in libros, quibus usus fuit, incertos & suppositities: vel quod genuinum Authenticorum sensum ignoraret. Sejunctis tamen ipsiusmet dictis & rubricis, ex tacito quodam consuetudinis effectu, censetur hic liber permissus sub sequutâ præcipuè Gregorij XIII. censurâ. Ita *Felin. loc. præd.* & *Maranta dis.* 3. *nu.* 24. Flocci pendentur ibi canones, quibus inscribitur nomen *Palea*, non quidem alicujus auctoris, ut quàmplures hallucinati sunt, sed vetusti tantùm characterismi, in quo sciendum absque diphtongo insigne erratum committi, cùm sit legendum *Palæa*, id est, vetus aliquid, Græcis παλαίος, ita ut passim, ubi hoc nomen occurrit, pro veteri habeatur canone, ut quilibet observare poterit diligenti lectione, monuitque *Io. Fungerus in Etymologico suo*: nec Palea est additio, quia græcè προςθήςειν dicitur. *Protopalea* verò potiùs est fictum nomen, & nullibi repertum.

Quem canones compilandi laborem, quia haud difficile est inventis addere, Decretalium inscripto titulo, simili producendi studio amplexi deinde sunt Bernardus Præpositus Papiensis sub Alex. III. Jo. Vallensis sub IV. Petrus Beneventanus sub Innoc. III. ejus Notarius. Postmodum Honorius III. cujus collectio jampridem omissa, reperta verò in Albiensi Bibliotheca, nuper prodijt summâ curâ Innocentij Cironij Cancellarij Tholosani, de anno scilicet 1645. nec minus in eo pergens adlaboravit

vit clarissimum Dominicanæ familiæ decus D. Raymundus de Pennaforti Gregorij IX. Capellanus. Ac demum, fœlicissimis Literatorum auspicijs Bonifacius VIII. doctissimos sibi socios adsciscens anno 1298. Guilielmum Ebredunensem Archiepiscopum, Berengarium Episcopum Biterrensem, & Richardum de Senis Ecclesiæ Romanæ Vicecancellarium, collectis Innocentij IV. Gregorij X. & suismet constitutionibus.

Ijs præfato modo compositis, cùm Ecclesiasticum regimen esset penes Clementem V. cùmque temporum conditio plura sibi, tum ex proprijs rescriptis, tum ex Viennensis Concilij decisionibus subministraret, Clementinarum, ipsomet annuente & coadjuvante, liber conflatus est, de quibus mox iterum scribemus: eoque vivis erepto Joannes ejus successor anno 1317. in publicum proferri mandavit: quod refert *Martin. Polon. in Clem. 5. post Gloss. in proœ. Clement.* Additæ sunt posteriori loco Extravagantes constitutiones, communesque tum à Joanne XXII. tum ab alijs editæ Pontificibus, quarum omnium auctoritas eadem planè est. *Franc. de Pauin. in proœm. extravag.*

Hinc patet Ecclesiasticæ monarchiæ cunctis divinæ gratiæ muneribus suffultæ, nec deesse legum tabulas ad veritatem in foro excolendam vetustis Principum placitis, Prudentum responsis ac plebiscitis longè præstantes. Eæque posteriores seu Justinianæas ad Romani Imperij regimen exaratas leges imitantur: decretum scilicet in pandectis, Codicem in decretalibus epistolis, Novellas in 6. & cæteris. Imò ex objecto nobiliori, tum ipsis, tum alijs cunctis dignitate admodum excellunt,

Quan-

Quantum verò prosint, ac necessaria undique sint Juris Canonici sancita, lippis ac tonsoribus innotescit: justam enim in forensibus tradunt procedendi formam, quod patet in toto 2. decret. contextu: & *Cuiac. cap. 15. de sent. & re judic.* plures arduas controversias jure naturæ & gentium ex illis decisas affirmat. Addo quòd in publicis Academijs, etiam inter Acatholicos, ut in Hollandia & in Anglia honorum atque opum spe utrique passim opera impenditur, ita ut parum idonei J. C. habeantur, qui utriusque scientiam non pollent, ex *Bald. in c. cum causam de probat.* quem sequuntur *Roman. singul. 654. Burg. de Paur. ad l. Taur. n. 10.* & *Ciron. in præfat. ad paratitl. lib. 5. Decret.* Nec perperam suprà diximus Juri Civili præferri, cùm ubi de peccato, vel salutis periculo agitur, seu Juris utriusque discrepantibus interpretibus, Canonicum Jus absque ullo scrupulo sit sequendum. Firmant *Ant. Corat. de comm. opin. cas. 30. Dionys. Gothofred. in praxi civil. lib. 1. tit. 2.* & *Gail, lib. 2. observ. 141.* Quibus adjungo ad valorem & earum legum obligationem, acceptationem populi minimè necessariam, cùm Pontifex earum conditor potestatem immediatè accipiat à Christo, & per consequens eas condere antecedenter possit ad fidelium consensum. Ita *Petrus à S. Ioseph in Idea Theolog. moral. lib. 1. de leg. cap. 1. resol. 5.*

Meritò igitur inter Christianorum Principum dominia Canonicum Jus undique receptum fatetur *Id. Duck loc. superiùs adduc.* Ita Galli seclusis proprijs sanctionibus & privilegijs (de quibus abundè *Petr. Pithov. in peculiari tractatu, ac Petr. de Marcha in lib. de concord. Sacerdot. & Imperij.*) & deficiente Jure communi atque consuetudine, ex Canonico in-

cun-

cunctanter controversias dirimunt : Non tamen admittunt sextum Decretalium, sive ob inimicitias inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum, sive quod multa Regni & Ecclesiæ suæ jura ex illo imminui præsumant, ut scribit *Rebuff. ad constit. Reg. in procem. gloss. 5. n. 126.* Quemadmodum nec libenter deferunt sacri Concil. Trident. decretis, ut est pervulgatum. Hispani quoque summâ fide Pontificijs utuntur canonibus, teste *Azeved. ad constit. Regni Hispani lib. 2. tit. 1. n. 18.* quibus in eo Hungari adstipulantur per ea ; quæ tradit *Stephan. de VVerbentz de Iur. Hungar. p. 2. tit. 6.*

Et, quod fortasse nonnullis mirum videbitur; Protestantes nusquam à se illud eliminare hauserunt ; quorum plerique in summam ac detestandam Martini Lutheri impudentiam meritò invehunt, eâ nimirum ratione ; quòd zelo præpostero & inconsulto ductus (ut refert *Melchior Adam in ejus vitâ*) Juris Canonici libros, repugnantibus Juris Consultis Wittebergæ combussit. Videmus autem; nullâ mutatione in eo factâ ; ut in Augustana confessione *artic. 16.* fuit consensum, quamplures ipsius asseclas in causis decidendis libris decretalium fideliter uti. Hoc modo agunt Saxones, Brunsuicenses ; & Dani ut cæteros omittam : de primis testantur *Besold. dissert. de lib. jur. cap. 8. & Carpzov. in Iurisprud. Saxon. p. 1. constit. 21. def. 2. v. 4.* De alteris scribit *Dauth. in comm. de testam. §. qui test. fac. poss. n. 170. & in proleg.* De cæteris videre est *Greg. Lorich. in Enchirid. Artic. in addit. ad conf. posterius n. 52.* Et ex novissimis Arnoldus Corvinus J.C. reformatæ religionis *in proœm. suarum instit.* quas egregie digerit, haud quaquam ampullosam & incompactam verborum farraginem se

in sacris canonibus invenisse,ut plurimi clamitant Acatholici : verum digna scitu acutilissima Belgis fœderatis ac similibus studiosis profert,ostenditque.

Quod vero improbanda sint ibi quæ circa fidei articulos, sivè universam religionis materiam innoventur, dummodo alias fuerint sacris innixa literis,quæ fidei sunt ac religionis norma satis firma, nimium profecto suo indulgens judicio præfatus Anglicanæ Ecclesiæ presbyter scripsit; Si enim ab omni summi Pontificis discissus est fide & obsequio, nil mirum se temporum vicissitudines, quæ varia quandoque expetunt negligere, & infallibilem illum necessariumque controversiarum judicem penitus eludere : quâ in re tamen hic nostrâ non est minima quæque juxta Prudentiorum captum, infringere.

Præmissis itaque universalioribus pro historicâ juriscanonici cognitione sibique annexis,ad singularia deflectimus circa textus nostri auctorem ; scilicet Clementem V: Is gentilitia origine fuit Vasco; homine baptismali Bertrandus Gotthо, qui post longa Cardinalium dissidia Perusii, absens, electus Pontifex, purpureis vocatis patribus,anno millesimo trecentesimo quinto Romanam sedem in Gallias transtulit,ibique coram Philippo Regè Franciæ ejusque fratre Carolo ac Johanne Britanniæ duce fuit coronatus. Pluribus inde sedatis discordiis pacis amantissimus multos ex Gallis ad consistorium extulit, ex iisque tres cum senatoria potestate misit ad Romanum, totiusque Italiæ regimen. Studio hinc publicæ quietis, Friderico Siciliæ Regi Sardiniam insulam à Saracenis occupatam eò fine concessit,ut Genuenses cum Pisanis componeret. Illorum

rum acerrimus cenſor in Novarienſium hæreſim (Fraticellos appellabant) oppreſſione operam equidem ſedulam præſtitit: Templarios, nequiſſimos in errores prolapſos, penitus extinxit, eorumque bona Hieroſolymitanis militibus addixit. Venetos tum, regnandi cupiditate & contumacia notatos, anathemate ſacris interdixit: Ferrariæ tumultuanti, trucidatis undique ſeditioſis, nec non Ethruriæ ac univerſæ Italiæ & Galliæ Ciſalpinæ ſanguineis Guelphæ & Ghibellinæ gentis agitatarum diſcordiis, ope & conſilio per Henricum Luceburgenſem à Germanis Imperatorem electum fervido conatu providit; & nonnullis fatorum adverſitate obortis incommodis, ſeditioſos etiam proceres mulctavit, atque in humiliorem ſtatum redegit. Rurſus, eodem impellente Eccleſiaſticæ diſciplinæ fideique Catholicæ promovendæ zelo; Magnum Chamum Tartarorum ad Chriſti cultum allicere tentavit. Minoritas plures ad infideles ſacris Chriſtianis imbuendos miſit: expeditionem in Orientē adverſus Saracenos inſtituit, Hoſpitalarios verò illius duces creavit; ad excindēda vitia ſedulò incumbens, provinciales ſynodos celebrari juſſit; conſtitutionem de interdicto Eccleſiaſtico arctiùs obſervando edidit, Cardinalium ſenatum auxit. Pro re literaria ſtudioſiſſimus Peruſinam Academiam condidit, Aurelianenſem prærogativis exornavit, Ulyſiponenſem ad Coimbriam, veluti ad aptiorem locum, traduxit. Nec urbis reparandæ oblitus Conſtantinianam baſilicam incendio maximè labefactatam, è proprio ærario ſuppeditatâ pecuniâ, reſtituit. Regi Franciæ ad Pictavium nonnulla ſibi minus probata petenti non favit, ſtudium-

diumque ad excolendum bonis artibus ac moribus Ecclesiæ statum, non modò ter habitis sacris ordinibus, & ad purpuram optimis ac dignissimis viris promotis, verùm Cœlestino V. in Sanctorum album relato mirabiliter fovit. Pro Viennensi Concilio, quæ in Christiano orbe censurâ egerent, undique inquiri jussit. Eo demum absoluto, Episcopos, qui ibi convenerant, pluribus privilegijs cumulavit: multisque diversis in locis, varijsque temporibus prudenter ac maturè sancitis, octavo sui Pontificatûs anno, summo Ecclesiasticorum & benè de Republica Christiana merentium, quibus impensè faverat, dolore, apud Roccham Mauram fato cessit. Hæc ex *Platinæ* veteri editione, alijsque fidelissimis scriptoribus.

Ætas erat proculdubio difficilis, plurimisque vexata dissidijs, quando œcumenica hæc synodus initium sumpsit, exordio scilicet anni 1310. post prævias multiplices indictiones: Viennaque electa fuit veluti opportuna sedes tum Pontifici, tum varijs Regibus illuc vocatis, nempè Franciæ, Angliæ, Siciliæ, Aragoniæ, Castellæ, Bohemiæ, Ungariæ, Romanorum, Norvegiæ, Cypri, Daniæ ac Sueciæ, plerique enim illorum varijs de causis orbem peragrabant. Quæ Viennensis Allobrogum civitas, in fide Plinij *lib. 3. cap. 4.* ad Rhodanum fluvium olim clarissima fuit, in qua etiam hodie non pauca antiquæ nobilitatis extare monumenta, scribit *Gesnerus in Onomast.* & de ejus territorii amænitate *Io: Ludov. Gothofred. in Archontolog. Cosmic. p. 1. fol. 125.*

Summa rerum, quæ in eo Concilio discutere necesse fuit, hæc est. De populi Galliarum in festivis diebus excessibus emendandis agitatum: Ordo

Templariorum abolitus: Bonifacium innocentem, verumque & Catholicum Pontificem pronunciatum: Begardorum & Begardarum utriusque sexûs hæreticorum, qui Alemanniæ provincias plures perversis infecerant dogmatibus, damnata secta: idemque de aliorum hypocritarum erroribus. Corporis Christi celebritas instaurata, inquisitio in hæreticos sancita, indicta in terram sanctam expeditio. Ibi Petri Olivarij errores damnati, animam rationalem esse corporis organici formam definitum; sententiam parvulis habitum fidei, spei, & charitatis cum gratia in baptismo infundi comprobatam. In eo Saraceni in Hispaniam, ut reprimerentur, sancitum; Hebraicam, Chaldaicam & Arabicam linguas in scholis doceri jussum. Rursus Clerici ab indignis muneribus gerendisque armis abducti, decoro eos vestitu incedere jussum: Præsulum quoque excessus castigati, iique Antistites, qui religiosos viros opprimerent, repressi, & ad sanctioris vitæ genus Monachi revocati; pluraque ad Ecclesiasticam sanciendam disciplinam septem spatio mensium, cum multiplicibus Patrum decretis, constituta. Quæ ferè cuncta ex ipsismet *constitutionib. Clementin.* profert. P. *Odoric. Raynald. in annal. Eccles. to.* 15. *ad an. Christi* 311. *&* 312. Cùm autem sanctissimus ille Pontifex eas constitutiones in unum conditas volumen morte præventus nequiret evulgare, gloriam hujusmodi Joanni XXII. ut jam innuimus, demandavit. Patetq; ex *histor. ejusd. Concil. to.* 28. *Concil. Parisijs edit. fol.* 703.

Inter eas constitutiones ambigendum nequaquam est, quin celeberrima sit, quæ in *lib. Clementin.* 3. *tit. de Relig. domib. cap.* 2. præfigitur pro Ecclesiasti-

ca

ca hospitalium œconomia : ibi enim statuitur Hospitalia per collatores ipsos reformanda quoad bonorum curam, cogique rectores antea negligentes, tum ad locorum, suorumque jurium conservationem, tum ad hospitalitatem exercendam, commissâ ad Ordinarios, ut plurimùm ex debito vigiles, etiam circa exempta horum omnium executione. Rursus casus, quibus in beneficium hospitales ædes conferendæ sint, præscribuntur, eorum explicatâ qualitate, quibus administratio, præstito juramento conferenda sit ; dummodo tamen ad Religiosorum vel Militarium Ordinum constitutio non extendatur, confirmatâ circa officia & Sacramenta laudabili ac veteri consuetudine.

Ad quam constitutionem, præter communes ac vulgatas glossas vix quicquam ab interpretibus adjunctum. Cùm verò ipsius materia sit per se fœcundissima, & à practicis Jureconsultis ob plurimas resolvendas, quæ sunt obviæ, difficultates, admodum expetita : Novis atque uberioribus Annotatis iterum vulgare conabimur, exhibitâ juridicè ac philologicè universâ Hospitalitatis materiâ, de qua *Melito Sardensis Episcopus*, referente Eusebio Cæsariensi *lib.4. cap.24. hist.Eccles.* elegantem scripsit librum; plura etiam *Tertull. ad Uxor.lib.2.* *Petrus Crespetius in summa Cathol.fidei pag. 472.* & *Lapus de Castiliono inter tract.Iur.tom 14. pag.162.* Post cunctos verò doctiss. *Tomasin.* occasione Tesserarnm Hospitalitatis in peculiari de ijs libello, & *Fritschius* brevissimè *in Diatribe Iurid.de Iure ac privileg.Hospital.*

Nos juxta variam, nondum obsoletam, peregrinorum excipiendi rationem, voluntariá scilicet ac necessariam, gratuitam ac mercennariam seu cau-

ponariam, de quarum poſtremis egregium exemplum extat in *M.Tull.* 1.*de Divinit.*ibi: *Cùm duo quidam Arcades familiares iter unà facerent, & Megarã veniſſent, alterum ad cauponem divertiſſe, ad hoſpitem alterum. Qui ut cœnati quieſcerent, concubiâ nocte viſum eſſe in ſomnijs ei, qui erat in hoſpitio, illum alterum orare ut ſubveniret, quòd ſibi à caupone interitus pararetur*; Materiam in quinque libros dividere intendimus, quorum ultimus mercennaria, cæteri verò gratuita præſeferent (multis tum nunquam editis, tum noviter examinatis) digeſta hoſpitalitatis jura: quo in labore faxit Deus, ut pro eruditorum votis fœliciter procedamus.






ABB. JO. BAPT. PACICHELLII COMMENTAR. DE IURE HOSPITAL.

LIBER I.

De virtute Hoſpitalitatis, ac veteri ipſius ſtudio.

CAPUT I.

Hoſpitalitatis vox declaratur; & virtus, Divinis præcipuè teſtimoniis, expenditur.



BReviter ac perſpicuè in re ſubjectâ prout noſtri ferent humeri ſcripturi, ſupervacaneis undique eliminatis, paucis multa conabimur amplecti; præſtat enim, feraciſſimâ Grammaticis relicta ſynonimorum materiâ, ad ipſius quidditatem, veluti Jure-Conſultis magis aptam ac proficuam, ſtatim convolare. Hoſpitalitas igitur deſcribi poteſt *Liberalitas, quâ quis peregrinos & extraneos hoſpitio recipere conſueſcit*; ſeu *Benignitas & facilitas erga hoſpites*, quod fermè idem eſt, Græcique ad rerum naturas

paucis aperiendas, & ab ovo, ut ajunt, enucleandas admodum idonei φιλοξενίας unico sed composito significarunt vocabulo, ut apud Glossographos est pervulgatum. Ob humanæ autem vitæ incolumitatem jure primum naturali ab ipsismet rerum incunabulis in communem hanc hominum societatem, veluti congeneo quodam instinctu ac insito affectus charactere, inducta est & sensim propagata, siquidem cum quisquè nec solus, nec immotus atque à cæteris animantibus sejunctus omnino dies transigere valeat, vel à patrio cogitur aberrare cælo, vel cum aliis quodammodo convenire: hinc est quod hospitio seu hospitalitatis ope propemodum indigeat. Hæc est nobilior amicitiæ species, hæc arctior quædam duorum pluriumve conjunctio, hæc mutui fœderis consociatio, quâ qui peragrat, alterius fidei, ad quem divertit, se committens, ibi tuto & honestè versari posse intelligit. Singulari hoc humanitatis vinculo, quod solum esca est ad capiendos homines dulcissima, ut *Ficin.* scripsit *Epist.* 5. veluti bullâ quadam ingenuitatis ornatus homo ubicumque consistat, morem, quemadmodum infra declarabimus, cum quamplurimis virtutum actibus, plurissimum inducet ac laudabilem.

Dividitur autem Hospitalitas in voluntariam & necessariam: illa est qua quis ultro hospites advenientes in domum suam recipit, & necessaria gratis præbet: hæc est cum qùis tenetur ratione officii hospitem suscipere, puta magistratum, militem vel alium peregrinantem, ut *Fritsc. in diatribe jurid. de ju. hospit. cap.* 1. *n.* 3. *&* 5. *Tabor tract. de metat. & Binder. dissert. de jure Albegar.* In publicam & privatam, ad quæ hospitalia ac Xenodochia referuntur, teste

Gryphi-

Gryphiand. Oecon. Legal. lib. 1. cap. 8. In gratuitam, quæ eadem ferme est ac voluntaria, & mercenariam, ad quam cauponæ ac diversoria pertinent. Quarum omnium una cum suis annexis ac dependentibus infra explicabitur natura.

Quænam virtus ea sit, haud difficile erit investigare si fontes attingamus; cum enim pro objecto Proximum habeat uti ab humanis vexationibus sublevandum, in quem à parte unde fluit, bonum quam maxime diffundat, charitati agnatam fatebimur, à justitia haustā atque inter misericordiæ corporalis opera numeratam. Ita post *Lactant. div. Inst.* 6. 12. qui perfectam eam justitiam appellat ad humanam custodiendam societatem, vetere sque non paucos, videntur sentire *Guiliel. Perald. in summ. virtut. tom.* 1. *p.* 14. *cap.* 4. *& Io. Busæus in viridar. Christ. virtut.* Non impropriè tamen putarem eandem virtutem esse ac amicitiam, vel præcipuam ejus particulam post propinquorum colligationem, ad benigne cum exteris agendum & commoda nostra pro eorum utilitate in commune redigendum nos acriter excitantem; unde merito *artificium amicitiæ circa usum hospitum* scribit *Clem. Alex.* 2. *strom.* Imo, si de gratuita & voluntaria, ut propositi fuit, loquamur, virtutem dicemus pietati maxime affinem, altera enim quasi coacta & ex debito servitutis orta ingenuitatis ornamenta vix servat, ut arguitur ex *gloss. in c.* 2. *de supplen. neglig. prælat. verbo hospitalitatem.* Seu potiùs quandam benevolentiæ speciem à peculiari amicitiæ usu derivatam nuncupabimus, ex qua nascitur jus hospitii, quod ab insigni Philologo *Budæo in l. solent ff. de offic. procons.* diffinitur *familiaris quædam amicitia, vel mihi hospitandi apud illum, vel illi apud me.*

De hac ſacræ paginæ affluenter præcepta potius præbent quam conſilia, juſſit namque Dominus *Deut.* 8. & 24. & *Levit.* 19. Iſraelitis peregrinorum curam, cum & iis in Ægypto ſimiles fuerint; proinde judicium peregrini ne corrumperent, vineam ne racemarent, oleam ne relegerent, ſed peregrino pupillo & viduæ ſpicilegium concederent. Rurſus *Iobi* 31. ſcribitur, *Peregrinus non foris negligendus, viatori oſtium pateat piorum. Iſai* 58. habetur: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam.* Exempla quoque præclariſſima, damnatâ *Luca* 9. Samaritanorum in hoc ruſticitate, in novo ſunt affixa teſtamẽto, Petri, Matthæi, Zacchæi, Lazari cum ſororibus, Mariâ atque Marthâ, imo ipſomet Servatore Chriſto, qui tenellus in Ægyptum ſeceſſit, *quoniam Ægypti olim tempore Ioſeph circa populum Iſrael multum benevoli erant* ut ait *B. Dion. Carthuſ. in cap.* 2. *Matthai*, & ponderat *Aloyſ. Novarin. in Adag. Sanctor. Patr. excurſ.* 137. ubi plura: adultus vero hujuſmodi charitatis officium tanquam ad vitam æternam neceſſarium aperuit, Judicem agens apud *Matth.* 21. 25. tum iis qui à dextris erant verba faciens, *hoſpes eram & collegiſtis me, nudus & cooperuiſtis me*: tum iis qui à ſiniſtris, *hoſpes eram & non collegiſtis me*, quorum poſteriorum æternum ſupplicium ſubdit Evangeliſta, cum priores ad æternam vitam ſervarentur. Clarius etiam proprio id exemplo Divinus præceptor docuit Hoſpitalitatem ſectans, ſeſeque iis à quibus hoſpitio acceptus fuerat, utilibus ac ſalutaribus vitæ documentis præſtitis, modeſtum, frugalem gratumque præbens *Luc.* 11. 13. ſuiſque Apoſtolis curſitare huc & illuc non permittens, in domum in quam forent ingreſſi juſſâ ipſis manſio-

mansione, & ad fercula apposita, modestiâ ac temperantiâ. De perpetuæ vero beneficentiæ testimonio, tabulæ extant humanissimæ, per quas hospitibus ipsius Dei receptio spondetur, *ut Matth. X. ibi: qui vos recipit, me recipit:* 18. *Qui suscipit unum talem parvulum in nomine meo, me suscipit.* Paulus Apostolus exquisitus divinorum verborum pensor simile Romanis præcepit 1. 13: *necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes,* Auctor ad Hebræos 13.1: *charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite oblivisci. Sic Petri* 1.4.8: *ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, Hospitales invicem sine murmuratione.*

Quia vero melioris gratiæ spe animus humanus ad aliquid peragendum facilius flectitur, plurimi divinæ providentiæ fructus virtutem hanc piè exercentibus demandati conspiciuntur, quod brevi recitabo. Multiplicatio scilicet rei familiaris ut 3. *Reg.* 17. in farinula & olei lecitho, & in oleo viduæ 4. *Reg.* 4: Abrahami generandi potentia, receptis Angelis, & Saræ fœcunditas *Gen* 18. idemque in Elisæi hospita concipiente 4. *Reg.* 4. Tutela in periculis Loth præstita, Angelis eum à subversione liberantibus *Gen.* 19: simile in Raab meretrice totâque ejus progenie exploratores filiorum Israel hospitante *Iosue* 6: quæ postrema exempla hoc modo *Nazianz.* exornat *orat. de pauper. amore seu* 16: *Pulchra res est hospitalitas; ac testis inter justos quidem Loth sodomita, moribus haud quaquam hujusmodi; inter peccatores autem Raab meretrix, non tamen animi inductione meretrix, cui bene de hospitibus merendi & laudi fuit, & saluti.* Clamat vero ex Africano suggestu *homil.* 5. *de Loth seu cap.* 18. *Genes.* Origenes: *Audite hæc qui hospitem*

 velut

velut hostem vitatis. Loth in sodomis habitabat. Alia ejus bene gesta non legimus. Hospitalitas in eo sola ex usu veniens memoratur: evadit ignes, evadit incendia, ob hoc solum quod domum suam patefecerit hospitibus. Hospitalem domum Angeli ingressi sunt. Clausas hospitibus domos ignis ingressus est. Constat quoque per Hospitalitatem divinam acquiri cognitionem, ut in peregrinis Emaus, qui Dominum suum in fractione panis cognoverunt *Luc.* 14. & gratiæ communicationem Zacchæi exemplo, cui Dominus hospitio acceptus, *salus*, dixit, *huic domui facta est Luc.*19. In quibus tamen heroicæ virtutis exemplis humilitas conspicitur, celeritas, hilaritas, & misericordia, ut fuse probat *Vincent. Bellovac.to.*3. *Biblioth.lib.*3. *dist.* 24. *p. X.* quæ omnia aptissima, ad majora quæcumque promerenda, media sunt.

Alia plura prætereo, ne in re clarissima actum agam, tantæ virtutis exempla ex divinis testimoniis eruta, præcipue Labani atque Rebeccæ *Gen.*24. Gedeonis *Iudic.*6. Ephraimitæ Gabaonensis, & Gabaonitarum in Rachab *Ios.* 2. Viduæ Sunamitis 2. *Reg.* 4. Salomonis 1. *Reg.* 4. Mosis ac Saulis in celeberrimis conviviis 1. *Sam.* 9. & 2. *Paral.* 18. Satis enim erit monitum pro coronide *S. Aug.serm.*32.*de verb.Dom.* ubi, *Agnoscite* inquit, *Hospitalitatem, per quam perventum est ad Dominum: suscipite hospitem, cujus & tu es comes in via, quia omnes peregrini sumus. Ipse est Christianus qui & in domo sua, & in patria sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, nam ibi hospites non erimus, cum hic & in domo sua quisque hospes sit.* Et mellifluus Doctor, exemplis repetitis Abrahami & Loth, scribens *ad Tolosan. ep.*241. sic suavissimis promissis nos abblandiri videtur:

simili

simili forma non Angelos sed Dominum Angelorum suscipite in peregrinis pascite in egenis, operite in nudis, visitate in languentibus; Quæ cuncta ex dicendis in proximo capite melius patefient.

CAPUT II.

Quanti olim habita Hospitalitas apud Ethnicos ac veteres fideles; humanis testimoniis demonstratur.

EX divinis jure & merito ad humana descendimus, quæ tum profanis, tum sacris testimoniis ex fœcundissimo sacrosanctæ antiquitatis pœnu queunt elici, & sese offerunt singillatim explicanda. Ut autem priscorum in hoc, laudabile nunquam satis, elucescat studium aliqua ratione fulcitum, audiamus Romani Oratoris ac Eloquentiæ Principis sententiam, qui in admirabili suo *Offic. 2.* subscribens Theophrasto in libello forsan de virtutib. quem pluries legimus: *Rectè, inquit, est laudata Hospitalitas; est enim, ut mihi videtur, valde decorum patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus, idque etiam Reipublicæ esse ornamento homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere.* Similia apud *Ambros. 1. offic. 21.* qui tantam virtutem his verbis extollit: *commendat plerosque etiam Hospitalitas; est enim publica species humanitatis, ut peregrinus hospitio non egeat, suscipiatur officiose, pateat advenienti janua. Valde id decorum totius orbis existimatione peregrinos cum honore suscipere, non deesse mensæ hospitalitatis gratia, occurrere officiis liberalitatis explorare adventus hospitum*

Abrahami atque Lothi exemplo. Adstipulatur equidem Cicero, & si parum assuetus, divini sui præceptoris monitq *dial. de legib. 5.* ibi: *ad peregrinos vero sanctißima esse fœdera quisque cogitet, ferme enim omnia peregrinorum & contra peregrinos peccata præ illis quæ inter cives committuntur, ultori Deo curæ sunt: Nam cum peregrinus amicis cognatisque careat, majorem & apud Deos & apud homines meretur misericordiam. Quare qui magis ulcisci potest, is ad ferendum auxilium est paratior: potest autem maxime hospitalis cujusque Dæmon ac Deus, hospitalem secuti Iovem.* Ad quod facit illud *Odyss.* 4.

Iupiter autem vindex est supplicumque hospitumque
Hospitalis, qui hospitibus simul verecundis opitulatur.

Et *Odyss.* 17. sic Menelaus Alexandrum ingratum hospitem objurgat:

Iupiter Rex da ulcisci, qui me prius injuria affecit
Nobilem Alexandrum, & meis sub manibus doma,
Vt aliquis timeat & posterorum hominum
Hospitem injuria afficere, qui amicitiam præbuerit.

Tanti enim fiebat hospitum cura, ut apud Homerum sæpe Dii Peregrinorum habitu fingantur oberrantes, idque munus profecto divinum videretur cum ipsomet Jove natum, cujus peculiarius epitheton *Xenii* erat sive *Hospitalis*, ut in sacris paginis 2. *Machab.* 6; meminit *Ovid. X. metam.* ibi: *Ante fores horum stabat Iovis hospitis ara. & Plutarch. opusc. de exilio & libell. Amator.* ubi, *neque*, inquit, *hospitum supplicumque injurias tam celeriter Iuppiter hospitalis, neque parentum imprecationem Genitalis persequitur atque ulciscitur*, & abunde *Lil. Gyrald. Histor. Deor. syntag. 2. atque Iacob. Nicolaus Miscell. Epiphyll. lib. 4. c. 19.*

Quam nominis venerationem non Jupiter tantum sibi prope Garizim & undique conciliavit, ve-

rum

rum Apollo à Pellensibus *Theoxenii* titulo vocatus in Achaia cultusque,de quo *Rhodigin. lect. antiqu. lib.* 18.*cap.* 5.eoque indigitati auctique festorum honore Minerva, Castor,Pollux & Lares ex Pausania Pindarique scholiaste. Hujusmodi enim ritum ab ipsis numinibus promeritum Ethnici opinabantur, apud quos plures heroas hoc humanissimæ beneficientiæ officium adhibuisse Homericis exemplis *in Odyssea lib.*compertum est.Sic in 1.Minervam Telemachus Mentoris Regis Paphiorum veste indutam recepit, eandemque in 3.simili aspectu personato cum Telemacho Nestor & filii humaniter hospitio excepêre : Telemacho atque Pisistrato *in* 4. *&* 15. eodem plane sensu fuit obvius Menelaus : Ulyssi naufrago *in* 5. ac Mercurio ablegato Calypso hospitium aperuit,quod comiter imitati fuere Nausicæas *in* 6. Alcinous Phæacum Rex *in* 7. & alii aliquot; eumæus pastor, Telemachus una cum Penelope, & deinde Thesprotarum Rex Ulyssem naufragum excipientes in cæteris , de quo Achilles in Iliade erga Agamennonis legatos, & Jobas erga Bellerophontem merito commendantur, Divosque hominum loco sibi hospites facere videbantur, *Seneca in Thyeste act.* 1. ------------ *Tua est Tantale dextera Mensas ut strueres hospitibus Deis.* Imo Dii quoque Gentium sive divorum simulachra suos hospites habuere, teste egregio illo morum censore *sat.* 3.*ibi:*

Da testem Romæ tam sanctum , quam fuit hospes
Numinis Idæi.

nempe Scipio Nasica vitæ vir probissimæ, quem Senatus elegit ut simulachrum matris Deûm de Phrygia allatum domi haberet suæ , dum ei templum construeretur: conqueriturque Poëta fidem Romæ

haud haberi pauperibus, & si boni sint viri, verum divitibus tantum ac scelere obrutis.

Nec modo erga numina, sed & cæteros quoscumque jus erat quoddam religionis agnitum, absque ullis tesseris vel signis seu amicorum notis, de quibus infra, inviolabile profecto, ut Romanorum exemplo Livius affirmat, & de Hæduis Germanisque *Cæsar* scribit *lib.* 1. *&* 6: ex quo peculiari nonnullo adorationis ritu, veluti numina quæ sub viventium formâ ipsis adventarent excipiebantur. *Gratias tibi ago summe Sol*, hæc formula erat, qua se hospites mutuo salutabant teste *Plauto in Pœnulo*, sol autem pro Jove accipiebatur hospitum custode, ut ex Macrobio observavit *P. Mendozza in suo viridar. sacr. atque prof. erudit. lib. 8. cap. 2.* Quo proposito beneficentiæ signo ad patriæ usque desiderium eliminandum quandoque processum fuit: *Etrusci*, scribit *Halic. lib. 5. à Cumanis, cæsi atque in agros Romanos profugientes, cum in urbem plaustris comportati, omnibus humanitatis officiis soverentur, abjecto patriæ desiderio apud benefactores remanent.*

Hebræis fuit Hospitalitas admodum usitata, & quasi perpetuo canone sancita, solvere namque debebant quartam decimâ tertio quolibet anno peregrinis, pupillis & viduis ex *Numer.* 18. Rursus Beresit Raba Rabinus *cap.* 51. affirmavit Abrahami domum quatuor ostia habuisse, juxta totidem mundi cardines, ut ex omnibus orbis partibus hospites exciperet, quibus discedentibus, non sibi sed Deo gratias agerent, imperabat.

Lacædemonii consueverant hospitibus ac peregrinis ad umbram in spectaculis sedes locare, ipsis interim Lacædemoniis quovis loco sedentibus, quod

quod singulariter observavit *Antonin. lib.* 11.*n.* 21. Et Libanius *orat.* 19. Spartanis inhumanitatem in peregrinos tanquam probrum, mirum videtur quod objecerit.

Græcis munus publicum erat hospites ac peregrinos excipiendi quibusdam collatum, qui *Parochi* vocabantur, iique peregrinis & præsertim legatis ligna, salem & similia debebant suppeditare: apud quos hospitii conjunctio sanguinis communionem antecelluit, Glaucus namque & Diomedes utpote paterni hospites à mutuo congressu & in media acie ac turba sese abstinuerunt, sibique temperarunt, quanquam Teucer, neglectâ sanguinis junctione cum Priamo, haud quaquam cum Trojanis renuerit pugnare. Hospitalitas Bronchi insignis apud *Nonnum Dionys. lib.* 17. Charondas egregie apud *Stobæum serm.*44.*Peregrinum quemvis, qui in patria sua colitur, secundum leges proprias bene precãdo & familiariter suscipere oportet ac remittere, Iovis hospitalis memores, ut qui Deus apud omnes communis sit constitutus, & hospitalitatem ac inhospitalitatem inspiciat:* nonnulla ad rem apud *Simplic.in* Enchir.*Epicteti cap.* 37. Lex etiam Athenis vigebat, ut quosvis hospites Græcos admitterent: at inprimis Thessalos susceperunt ob Pirithoi & Thesei hospitium, quibus agrum assignarunt additâ inscriptione *Pirithoi.* Sic *Ephorus lib.* 3. *& Suidas verb. Perithoëda.* Nec minori fortasse studio apud Phrigios exculta, quibus celeberrimum est Æsopi exemplum, cui ob hospitalitatem solutam linguam narrat *Maximus Planudes* in ejus vita. Iisdem vero Græcis & Alexandrinis Hospitatura & Elemporia dicta sunt, id est hospitia illa, ad quæ Alexandrini, cum peregre eos ire

oportebat, tendebant. *tex. in l. ult. §. elemporia ff. de mun. & honor.* quod in hoſpite recipiendo munus erat patrimoniale ſeu patrimonii loco habitum, cum ſic inter majores veteri quodam more inductum foret, ut ad amicos illico hoſpitaturi tenderent quoties à patria recedebant, reddituri vicem ſi forte ad ſe Alexandriam illi quoque amici venirent, ut explicat *Io. Calvin. in lexic.* Importat enim facilitatem undequaque hoſpitalitas ad affectum conciliandum aptiſſimam, quæ rebus quoque inanimis tribui videtur. Sic *hoſpita terra* apud Virgil. ibi

Et Pater Anchiſes bellum ò terra hoſpita portas.

Et alibi

Puppibus illa prius, patulis hunc hoſpita plauſtris.

Stat. 4. ſylv. ad Marcell.

-- Vbi Auſonio ſe condidit hoſpita portu
Parthenope ——————

Hoſpitalis umbra in *Horat. od. 3. lib. 2.*

Quâ pinus ingens albaque populus
Vmbram hoſpitalem conciliare amant.

Similiter *Hoſpita flumina Æn. & Thebaid. 3.* nempe facile tranſmeanda, quaſi perbenigne tranſmeare volentes excipiant.

Cæterum Romanis hoc hoſpitii jure nihil ſolennius; ex quo factum eſt ut S. C. Regibus & Legatis ex poſtremis terrarum oris Romam profectis hoſpitium & munera *lautia* nuncupata publico nomine per Urbanum Quæſtorem large & hoſpitaliter indulgerentur; quod fœdus cum eo qui eorum legatos benigne & comiter excepiſſet humaniſſime contrahebatur: & recitat *Liv. lib. 5.* hoſpitium cum Timaſitheo Liparienſi factum Patrum decreto, quod Romanorum Legatos à piratis captos in publicum

publicum hospitium perduxerit, de quâ ratione *Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 2*, ubi quod, explorato per Senatum an incognitæ legationes admittendæ forent, benigne invitabantur, comitatu & copiâ rerum suppeditata, & nonnunquam apparatis excipere epulis per oppida, perque municipia solebant. Quod si justæ causæ impulissent aliquando renunciabatur. Idem *Livius* scribit *lib.42.* legatos in Macedoniam ad res repetendas renunciandamque amicitiam Regis Persei missos, eam amicitiam societatemque renunciasse. *Cic.* clarius id explicat 3. *Verrin. renunciabatur apertis verbis amicitia,* & melius cunctis *Tacit. lib. 5. iis* verbis: *sed Cæsar missis ad Senatum literis disseruit morem fuisse majoribus, quoties dirimerent amicitias interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere:* Inter amicos eodem plane modo contentione obortâ sodalitati prius & hospitio renunciare consuetum erat, quod patet in Germanico Pisonis amicitiam à se ablegante, ut *Sueton. in Calig. cap. 3. in fin.* id fuisse dicens more majorum factum, & *Liv. 3. dec. lib. 5.* nec non in Crispino qui, narrante *Cic. lib. de finib. 5.* Badio remisit hospitium, quod decentius videbatur quam tesseram frangere, vel mutuo projicere; hodie vero hospitii renunciatio, fiet de ejus non usu nunciatione. *Gallerat. in tract. de Renunc. lib. 1. cap. 1. n. X.* Hac ratione, cum in pejus ruat semper humanum genus, vetustum succedendi jus ex hospitalitatis benignitate consideratâ acquisitum, de quo *Gloss. in l. nutritoribus C. commu. de successio.* consulto à Ferdinando Imperatore fuit correctum *in extrav. de statut. & consuet. posit. sub. tit. Commu. de success.* Nimium enim hujusmodi benignitas hospitandi in malitiam elapsa fuerat, ut ex nostris observat.

vat. *Hector Felic.in proœm.tractat.de societ.nu.* 15. Sed Græcis remanſiſſe hæreditarium exiſtimo, nec immutatum quàm rebus undequaque everſis, & vetuſtiſſimum fuiſſe Homerus teſtatur, dum ſub Diomedis & Glauci perſona, eos prælium inituros paternam hoſpitii neceſſitudinem demonſtrat renovaſſe; Cum enim manus illi inter ſe conferre vellent, Diomedes primum illum paternum ex auditis verbis hoſpitem eſſe cognovit, atque haſtâ humi fixâ, verbis hiſce blandiſſimis eſt proſequutus.

Certe mihi hoſpes paternus es antiquus
Oeneus enim olim nobilis eximium Bellerophontem
Hoſpitatus eſt in ædibus viginti dies detinens.
Hi vero etiam ſibi mutuo dabant Xenia pulchra.
Oeneus quidem baltheum dedit purpura lucidum.
Bellerophontes autem aureum poculum utrinq; cavum,
Et illud ego reliqui proficiſcens in ædibus meis.
Quare nunc quidem tibi ego hoſpes amicus in Pelopōneſo media
Sum, tu vero in Lycia quando eam ad gentem venero.
Haſtas autem mutuas evitemus etiam in turba.

Et de Romanis *Tull. ep.* 17. *lib.* 13: *cum Lyſone Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium vetus* (avitum explicat *ep.* 34.) *quam ego neceſſitudinem ſancte colendam puto.*

Hoſpitalitatis jura erga bruta animalia adhibita recitat eleganter *Pier. Valer.Hierogl. lib.* 16.aſpidis exemplo familiariter ab Ægyptiaco viro, de quo ante *Plutarch.* ſcripſerat; & Draconis manſueti, cui cibum ex communi menſa miniſtrabat Locrenſis Ajax, Philoſtrati teſtimonio. Præſtantiſſimum quoque & ſatis pervulgatum juris hoſpitii incrementum legitur apud *Gell.* 5. 14. in Leonis exemplo, fami-

familiari à quodam homine velut mansuetissimi hospitis consuetudine accepto.

Porro fidelibus, ut in superiori capite innuimus, fuit semper Hospitalitas præcipuum misericordiæ opus, ut ex veteribus discurrunt *Lactant. 6. div. instit. cap. 12. D. Aug. adversus hæreses. Chrysost. super Matthaum & homil. 43. 44. & 51. super Genes. Ambros. in lib. de Patriarch. quod habetur in cap. offerebat 32. q. 7. & fuse in cit. lib. de offic.* Hier. *ad Damasum quod repetitur in cap. ult. 16. q.* 1. & Patres fere cuncti. Ex recentioribus vero *Lopez de Mesa in mensâ spiritual. cibor. fol. 364.* qui eam commendat, rationesque ad sectandam tradit. *Barbos. ad Concil. sess. 25. de reform. cap. 8. Theoph. Rainaud. in de virtutib. & vitiis lib. 4. sect. 2. cap. 5. n. 116. vol. 4.* & plures alii: Unde Atrebatum civitas ob monasterii hospitalitatem dicta fuit bonorum virorum terminus, prout refert *Landmeter in tract. de vetere Clerico & Monacho lib. 2. cap. 8. p. 2.*

Proferam selectiora nonnulla Patrum testimonia ad præfata corroboranda. Et quidem *D. Hieron. apolog. advers. Rufin. Nobis*, inquit, *in monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes latâ humanitatis fronte suscipimus; Veremur enim ne Maria cum Ioseph locum non inveniat in diversorio, ne nobis Iesus dicat exclusus: hospes eram & non suscepistis me. Solos hæreticos non recipimus, quos vos solos recipitis. Propositum quippe nobis est pedes lavare venientibus, non merita discutere.* Et ad *Pammach.* scribens immediate hoc officium adhibendum innuit, eâ nimirum ratione, quia *Abrahamus non servis & ancillulis imperabat ut ministrarent hospitibus, nec bonum quod exercebat per alios innuit, sed quasi repertâ præda cum Sara sua, humanitati solus incubuit: ipse pedes lavit, ipse pinguem vitulum portavit*
humeris

humeris de armento, stetit ut servus peregrinis prandentibus, & Sara manibus coctos cibos jejunaturus apposuit. Chrysost. commendat *homil. de Eleem. & Hospit.* ibi: *hospitalitatem exerce, continenter orationi incumbe, videris hæc fore auratis vestibus potiora, gemmisque pretiosis & monilibus longo intervallo præstare.* Rursus *to. 9. fol. 398: Ecclesia habet Xenodochium & reditus ad excipiendos peregrinos. Hinc quidam fideles nolunt eos recipere dicentes, Vade ad Ecclesiam. Pessime. Et to. 11. fol. 976. Quædam nobiles fœminæ ducunt vitam austerissimam & humillimam. Tanquam viles ancillæ serviunt hospitalibus.* D. Gregor. Magnus *Io. Abbati Episc. 3. lib. 2. indict. 11.* scribit: *De hospitalitate esto solicitus, quantum potes pauperibus largire, ita tamen ut serves quod Floriano restitui debet*; non enim hoc jus alterius læsivum esse decet. Philo in lib. de Abrahamo, *Nemo*, ait, *humanitatis officia segnis est in sapientis familia; tam mulieres quam viri, tam servi quam ingenui prompte ministrant hospitibus.* Petr. Chrysol. ex hoc bona quasi divino spondet multiplicia testimonio tum, *Gehennalem*, ait, *ignem evadit hospitalitatis sectator, & urbem in refugium accepit Loth, qui domum hospitibus exhibuit.* Multus est in ejus augendo merito *D. Maxim.* homil. peculiari *inter SS. PP. edit. à P. Rainaudo vol. 1.* qui inter cætera hæc habet: *magna enim hospitalitatis est gratia, nec facile violanda: omnibus aperta est, omnibus parata est, & sanctos libenter suscipit, & peccatores tolerat patienter.* Cassian. *collat. 21. cap. 14.* sic idem inculcat: *frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam*, utilissimam probans *coll. 24. cap. 20. & 21.* remissionem in adventu fratrum, tam corpori quam spiritui. Nonnulla apud *Carol. Paschal, in de virtutibus libello.*

Exerc-

Exempla, & si vividos rationis aculeos præ se ferant, supervacaneum afferre censeo, paratissima enim sunt in magno vitæ humanæ theatro *Laur. Beyerlinch*; sed obiter tantum hæc emitto, nempe Bassiani presbyteri ephesini, qui tota vita pauperibus vixit, extruxitque pro languentibus ac exulceratis cum 10. lectis nosocomium *Concil. Chalced. act.* 11. Hermanni Altanensis Abbat. qui hospitalissimus, omnium statui se accommodabat *Henric. Stero anno* 1272. & 1282. S. Anselmi adeo hospitalis ut sæpe fraudaret refectorium patrum. *Gervas. Monach. lib. de Episc. Cantuar. cap.* 35. Spiridionis Cypri Episcopi quoscumque hospites recipientis, per quadragesimam aliud non habens, carnes apponentis, ac dicentis omnia munda mundis. *Sozom. lib.* 1. *cap.* 11. illudque D. Rogerii, veluti ex candelabro Biturigum Archidiœcesis, de quo in *Patriarchis Biturig. cap.* 79. *in to.* 2. *Biblioth. manuscript. P. Labbe fol.* 126. refertur eum nunquam petitionibus afflictorum solatium quod adhibere potuerat denegasse, atque in hospitalitate se adeo insignem fuisse, ut ejus domus peregrinis ac pauperibus semper patuerit: quodque nudis specialius compatiens, eorum indigentiam soleret liberalissime relevare. De S. Saba fere idem in ejus actis D. Cirillus testatur apud *Card. Baron. anno Christi* 518. & longe prius his vivum fuit Cajus monachus hospitalitatis exhibendæ exemplum, ad quem priores tres Dionys. Areopag. extant Epistolæ & Joannis Apostoli tertia, testib. *D. Maximo, Pachymere Dionys. paraphraste, Serario, Mariana, & à Lapide.* Nec minori laude digni Theodori Episcopi cives, qui omnes excipiebant peregrinos communibus expensis idque eis onerosum.

Hinc quiſque ſuæ portionem ſubſtantiæ dedit, compoſuerunt cum Epiſcopo, ac onus illud in ipſum refuderunt, ſcribit *S. Gregor. lib. 8. epiſt. 29.* Poſteriori ævo autem S. Julianus qui hoſpitio Angelum ſpecie pauperis excepit, & parricidium ſibi condonatum intellexit referente *Bollando in Sanctor. Actis to. 2. Ian. fol. 974.*

Summum profecto apud veteres quoſque fidelium fuiſſe hoc Hoſpitalitatis ſtudium comperitur, dum peculiari quidem voto firmabatur, ut ferventiori forſan conatu in heroicos ejus actus prodirent: quâ in re conſule *D. Auguſt. in Pſal. 75. ad illud Vovete & reddite. & ſerm. 5. ex 4. noviſſ.* Moneo tamen cum *D. Th.* votivum hoc promiſſum ad inquirendos advenas minime obligare, verum ad excipiendos tantum. Sic ille 2. 2. *q.* 33. *a.* 2. ad 4. & *quodl. 8. a. 12.* cujus ſententiam ex noviſſimis proſequitur *P. Theoph. Rainaud. in Aſcetic. p. 4. cap. 5. ſeu ejus oper. vol. 17. fol. mihi 465.*

Quod ſtudium demum quam fuerit Deo acceptum facile conſtat, dum ob cujuſdam Antiocheni civis quotidie pauperes omnes ac peregrinos quærentis meritum, Angelus mediam civitatem ſervavit ab excidio, fide *Sigeb. Gemblac. anno 585.* Rurſus à Deo miraculum, etiam per malæ vitæ Epiſcopum impetraviſſe, *D. Petrus Damian.* ſcribit *lib. 1. Epiſt. X.* Idemque per Dœmones quoque Divinomet juſſu exercitum viſum eſt, quod ſummariâ narratione comprobabitur. Iter quandoque arripuerant, non abſque ingenti labore ac periculo nocturno tempore nonnulli fratres ex ordine S. Franciſci, Divinum præſidium piiſſimis precibus expetentes, dum repente quendam campanarum pulſum

pulsum audiêre, ex quo ad properandum allecti, Abbatiam invenerunt, in quâ cuncta charitatis officia ipsis perhumaniter suppeditabantur. Cum tamen ad chorum unâ cum suis Monachis Abbas pergeret, inassuetas omnino in Ecclesia collectas ab hebdomadario legi animadvertit, ipsumque idcirco in virtute passionis Christi conjuravit, quinam esset explicaret; respondítque se suosque socios Dœmones esse Divino mandato ad hospitium iis fratribus parandum spirituali profecto missos celeritate. Narrat id amicus noster *P. Francisc. Haroldus* Philolagus Hibernus *in Epitome annal. S. Francisci P. Lucæ Waddingi anno* 1242. *n.* 2. in quorum absolutione, non absque multiplici bono & rei Ecclesiasticæ fructu continuo pergit.

CAPUT III.

Peregrinatio scitè à Priscis suscepta. Peregrini qui, & de Religioso erga illos atque humano Hospitalitatis studio.

HOspitalitatis materia Peregrinationi amico quidem fœdere adeo nectitur, ut vix sejungi, vel altera absque altera existere per se valeat, gemini enim videntur naturæ effectus in orbem terrarum insimul invecti, optimâ institutione fulti, & ad perpetuum mutuumque concordiæ pignus connutriti. Hunc vero peregrini titulum penitus deponere ne quisquam potest, eâ nimirum ratione quia cuncti dum in corpore vivimus, ex *Apost.* sententiâ 2. *Cor.* 5. à Domino peregrinamur, sursum ad

fœlicissimam patriam laborum omnium metam ac mercedem, Divinis impellentibus promissis tendentes. Quod nec forsan Ethnici ignorarunt, inquit enim *Cic. de Senect. ex vita ista discedo tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo, commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi locum dedit.* Quare vitalem hanc assuetudinem *dies peregrinationis* Jacob Pharaoni esse explicavit ad 130. annos *Gen.*47. Duplex autem est peregrinatio proprie ac ingenue sumpta, profana scilicet ac religiosa; prima nomen hujusmodi sumit à fine regiones vel quid simile invisendi lucri, aut curiositatis gratiâ; Altera quæ fit ob spiritualem causam. Quantum autem ad vitam seu munere publico, seu propriæ vacationi singularique profectui transigendam conducat alienarum urbium inita peragratio, veterum exempla qui alacri conatu in eâ plurimum temporis insumpserunt, egregie suadent. Ex hac Ulysses Dux strenuus semper ac fortunatus præcipua apud Homerum encomia reportavit, dum magis undequaque promeritus post varias perlustratas urbes ad multorum scrutandos mores habitus est: eoque prius Hesiodus & ipsemet Homerus simili arte longinquæ peregrinationis prudentiam facilius cæterasque virtutes colligere posse, absque ulla fallacia opinati sunt ex *Gyrald. hist. de poët. dial.* 2. verissimam illam Græciæ Comicorum sententiam nacti *in excerpt. ex incert. per Hug. Grot.*

Peregrina vitam vita prudentem facit.

Sic in Co Insula atque Æsculapii templo Hipocrates plures morborum historias exscripsit: Dioscorides castra sequi maluit, quam herbarum virtutes ignorare: Galenus Smirnas ad Pelopem audiendum

migra-

migravit: Herodotus Ægyptum historiæ scribendæ causâ invisit; Diodorus Siculus, eodem animi impulsu, 30 annos huc & illuc insumpsit; Sallustius usque ad Africam navigavit; Clearchus & Philiscus cum pluribus pedissequis Athenas profecti, alter Platonis, alter Diogenis auditores facti fuêre. Augustus Hispaniam & Epirum, Severus Romam, Julianus Ephesum, ut literis & militiâ instruerentur peragrarunt, pluresque summos alios viros præcipui fere cuncti Philosophiæ parentes ac Legislatores discendi studio imitati sunt, sese peregrinationi committendo haud peregrinos existimantes, uti Socratis sententia docet, cui omne cælum, idem tectum, omnis tellus eadem mater, totus mundus patria, ejusque discipulus Aristippus, qui *Vitruvii* testimonio *in proœm. lib. 6. quanquam naufragio ad Rhodiensium littus ejectus, parum de patriâ cogitans, ad socios illuc remeare cupientes dixit: Doctum ex omnibus solum neque in alienis locis peregrinum, neque amicis familiaribus & necessariis inopem amicorum, sed in omni civitate esse civem, difficilesque fortunæ sine timore posse despicere casus*: & ex Italis nostris Jo: Bapt. Guarinus non ineleganter

Per tutto è buona stanza ove altri goda
Ed ogni stanza al valent huomo è patria.

nonnullasque peregrinationes, insitâ illa expertaque discendi causa, à Philosophis olim initas recitat *D.Hieron. epist.*103.*in princ.* Quare de se ipso egregie *Horat. 2. Epistol. ad Flor.*

Romæ nutriri mihi contigit atque doceri,
Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles
Adjecere bonæ paulo plus artis Athenæ,
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,

Atque inter sylvas Academi quærere verum.
Dura sed amovere loco me tempora grato,
Civilisque rudem belli tulit æstus in arma,
Cæsaris Augusti non responsura lacertis.

Vetus quoque fuit in primævis fidelibus ac felicissimus ad sacra loca transitus, seu in Palæstinam ac terram sanctam, seu ad montem Sinai & quercum mambre, ad imagines, reliquias, & sanguinem Christi, ad varia templa sanctis ac Deo dicata, & deinde ad Apostolorum limina, Ædes Lauretanas, & S. Jacobum in Compostella, ut satis abunde ac erudite post *Venant. Fortunat. Paulin. ac Prudent. in suis sacris carmin. P. Iacob. Gretserius ex PP. Societ. in tract. de peregrinationibus sacris aliisque aliis*, qui *de Cruce lib. 2. vol. 3. cap. 2.* consuevisse peregrinaturis baculos & peras certo ritu benedici ex historiis & ritualibus deducit. *Et Ioan. Bapt. Casalius de veteribus Christian. ritib.* de cujus qualitate & fructu plura congerit *P. Io. Busæus in tract. de Statib. homin. fol. 176.* quicquid inaniter sentiant hæretici & signanter: *Io. Calvin. 4. instit.* 15. §. 7. qui manifestâ impietate scatentem arguit; cui tamen oppono, post Cabilonense Concilium sub Carolo Magno *can.* 45. decretum novissimum *Trident. sess.* 25. Imo & sacris testimoniis devotio hæc probatur, dum Deus præcepit *Deut.* 16. ut omnes filii Israel ter in anno ad tabernaculum vel templum Domini peregrinarentur, quod studiose servaverunt Helcana & Uxor ejus 1. *Reg.* 1. nec desunt, post Apostolos qui suis gressibus præcipuas orbis plagas illustrarunt, in Ecclesiasticæ historiæ contextu nobilissima plura SS. PP. exempla.

Hoc item est adeo sapientiorum verbis comprobatum, ut mirum sit aliter sensisse hebræum illum

aliàs doctrinâ celebrem apud *Aristeam in de 72. Interpr. ad q.42.* dum patriæ cultorem dixit aliquem existere si sibi persuadeat domi vivere & mori optimum esse; peregrinationem vero egentibus stultitiam, divitibus dedecus afferre, ceu patriâ suis malis ejecti sint, nimium profecto pietati in patriam indulgens. Et Seneca Lucil. monuit illam absque animi curatione prorsus inutilem *Epist.* 70. & melius Ep.105. ubi: *quid per se* inquit *prodesse peregrinatio cuiquam potuit? non voluptates illa temperavit, non iras repressit.* Et paulo post: *Si vis peregrinationes habere jucundas, tuum comitem sana. Harebit tibi avaritia quamdiu avaro sordidoque convixeris.* Et deinde: *ad meliores transi, cum Catonibus vive, cum Lælio, cum Tuberone; quod si convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Zenone versare. Alter te docebit mori si necesse erit, alter antequam necesse erit. Vive cum Chrysippo, cum Posidonio. Hi tibi tradent Divinorum, humanorumque notitiam.* Principi fortasse peregrinatio minime suscipienda, nisi Religionis curâ & tranquillitatis Regni, ut *P. Velasquez* probat *in tract. de Opt. Principe, seu lib. 3. adnot. moral. in Psal.* 100, quod verum existimo in majorenni, seu adepto Principatus regimine, alias enim, nec sine laude, Principum filios terram lustrare observavimus.

Nomine Peregrini exteros simpliciter intelligimus, qui in suâ civitate non sunt, seu alienigenos & advenas, quorum quatuor genera enumerat Sapientum Maximus Plato *lib. leg.* 12, primum mercatorum & negotiatorum, qui lucri captandi curâ ad Indos impigre currunt, & ab his ad nos transeunt. Alterum illorum qui causâ visendi, resque externas cognoscendi ad exteros veniunt, cujuscumque ge-

neris ex ſint. Tertium illorum qui publice mittuntur tanquam legati. Quartum quos fortuna defert aut caſus. Communis tamen omnium hoſpitalis videtur cauſa, ſervato peculiari ſingulorum reſpectu: eorumque officia egregie deſcribit more ſuo Comicorum clariſſimus Menander hoc pacto:

Peregrinus ſi ſis, hoſpitio te excipientes cole
Peregrinus moribus illius loci pareto.
Peregrinans ne curioſus ſis, & bene vives.
Hoſpiti maxime conducit temperantia
Peregrinum decet ſilentium magis quam vociferatio.
Valde ſe accommodare civitati peregrinus debet.

In jure tamen peregrini nomen quid diverſum ſonat, ii enim dicebantur qui cives Romani non erant. *Tex. in l. ſed & ſi §. ſolemus ff. de hæred. inſtit.* à veteribus primum *in legib. 12. tabul.* hoſtes appellati, quibus omnis ad honores aditus interclusus, ſuffragiorum in urbe jus nullum, togæ uſus interdictus; neque teſtamenti factio, neque connubium, quod *Boeth. ad Topic. Cic. in loco à conſequentib. tradit. Plinius quoque lib. 4. Epiſt. ad Minut. Senec. 4. de benefic. cap. 3.* pluraque ex antiquitatis pœnu promit *Barnab. Briſſon. in ſelect. ex ju. civ. lib. 1. cap. 13.* non enim orti erant in orbe Romano, neque civitate donati. Prætor tamen erat Peregrinus qui exteris jus dicebat, nec niſi per accidens Tarquinii temporibus nonnulli ex iis fuere Conſules creati.

Debemus modò ſignificare, quàm religioſo atque humano ritu peregrini, ſeu hoſpites olim reciperentur, præſcindendo à Reipublicæ ortu, in quo ſingularis illa ſolertia induſtriaque commendatur victum ad convivia ferendi, quòd probroſum eſſet alienis veſci, ut *Cal.* meminit exemplo Romuli,

qui

qui Brumalia instituit *lib.27.cap.24.* ex *Suida*, quem morem Helveti hodie imitari videntur, dum panem & vinum secum ferentes, ad aliorum mensam accedunt. Veruntamen plura fuisse adverto hospitalitatis officia: salutationem scilicet, dexteræque apprehensionem, quæ hospitii juris insigne præ aliis symbolum erat. *Tacit*, indicat *histor.* I. dum *Miserat*, inquit, *Lingonum civitas, vetere instituto dona legionibus, dextras hospitij insigne.* Cic. pro Dejot. *Per dextram te istam oro, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti..* Virg. *Aen. XI.*

Nec vos arguerim Teucri, nec fœdera, nec quas
Iunximus hospitio dextras, sors ista senectæ
Debita erat nostræ. ——————————

Rursus hospites gestis oneribus liberabantur, eaque in hospitij locum erant introducta, nunquam inviti retenti, sed dimissi ac deducti, ut colligitur ex Homeri *Odyss.* 15. in quo *ad Telemach.*

Aequale malum est, qui & nolentem redire
Hospitem impellit, & qui ruentem retinet:
Hospitem oportet præsentem diligere, volentem autem
dimittere.

Ad focum appositi, sæpè loti atque uncti: ipsis nonnunquam vestes porrectæ, seu ad injurias pluviæ reparandas, seu ad usum varium cænatorij temporis, de quo *Calcagnin. epistol. quæst. lib. 3.* Lecti quoque molles parabantur, cantu ad eos exhilarandos nonnunquam adhibito: ab aliena vi defensi, plurimoque honorum genere aucti. Inter hæc peculiaris erat Græcis præstantium virorum gratia, ut scribit *Demosth. orat. advers. Leptinem ibi: Vos Atheniensis, cùm quodam tempore Iphicratem honoraretis, non eum solum honorâstis, sed propter illum Strabacum etiam &*

Polystratum. Ac iterum cùm donum daretis Timotheo, propter illum etiam Clearchum, & quosdam alios civitate donâstis. Chabrias verò ipse apud vos honoratus est solus. Civilia quoque dona ijs suppeditabantur, puta equites, argentique talenta plurima, quæ *peregrina* erant nuncupata. *Id. meminit de Republ. ordinand.* Item singulare fuit honoris erga hospites testimonium Corona, quæ apud Græcos consecratione honestabatur. *Aeschin. orat. advers. Ctesiphont. Sed eo nimirum*, ait, *quod hospitalis est corona, etiam sit consecratio, ut ne cujus animus alienam benevolentiam patriæ praferendo corrumpatur.* Quia verò jus istud hospitij mensâ & sale contrahi olim consuetum, is, cùm ad epulas blandis verbis invitatio fieret, & vinum primo loco apponebantur, ut *Rhodigin. lib.* 12. *cap.* 1. *post Eusthat. in Iliad.* eorumque *sacra mensa appellabatur. Senec.* 4. *de benef. & Tull.* 2. *offic.* quos sequitur *Chassan. in catal. glori. mundi.* 11. *p. cons.* 46. *ubi plura.* Mos quoque fuit hospitibus vetustorum quàm plurimis, qui apud Magnates epulabantur, ut essent floribus coronati, quemadmodum de Apollonio scribit *Philostrat.* quod ab Rege hospite suo munimine coronæ ad locum convivij, ut solebant Indi, deductus fuit: quæ hospitales coronæ non tantùm in convivijs præsentibus hospitibus erant dono consuetæ, sed casu quo magnus aliquis hospes excipi non potuisset, mittebantur ad eam prorsus formam, quâ in hospites dona conferebant, ut mox dicemus: *Nec multò post*, inquit, *Tacit. annal.* 14. *legati Tigranocerta missi, patere mœnia afferunt, intentos populares ad jussa. Simul hospitale donum, coronam auream tradebant.* Et quidem aliquando exhibebantur maximo sumptu, *Val. Max. lib.* 5. *cap.* 1. *atque Aelian. lib.*

1. *cap.*

1.cap.23.variæ hist. testantur. Quibus profectò caput premi dicebatur, ut notat *Carol. Paschal. Coronar. lib. 2. cap. 3.* eos adferens *Statij* versus *lib. Sylv. 1.*

Hic thyrsos, hic plectra fecit, hic Enthea lauro
Tempora, Minoâ crinem premit ille coronâ.

Romanis & cæteris quibusque, qui ex hospitum adventu bona sibi captare auspicia suadebant, erga illos iidem ferè benevolentiæ affectus, edoctis fortasse à Græcis eorum in bonis artibus ac moribus præclaris quidem antesignanis. Textus non incongruus est in selectissimis Isocratis monitis ad Nicoclem, inter quæ urget hoc modo: *Cum omnibus hospitibus vrbem exhibe tutam, & in contractibus æquam: tum inter advenas eos maximi facito, non qui dona tibi advehunt, sed qui à te expetunt.* Et cùm jura belli pacis artibus longè anteirent, erat primo loco utrisque *Xenicos*, seu militaris nutritius ad normam ejus, qui Corinthij advenis militibus pendebatur, ut ab Aristophane deducitur: quo etiam nomine hospitium nonnunquam intelligebatur, sicut & *Xenodochij* verbo. Quemadmodum *Xenodochos* dicitur caupo, & qui hospitio suscipit: *Xenodochia* hospitum susceptio, *Xenoctonos* hospitum occisor, *Xenoctonia* occisio hospitum. Hinc fortasse Xeniam capere locum erat, in quem diverterentur à magistratu, ubi diversoria non suppeterent impetrare apud *Plutarch.* Et Xeniæ balneæ eædem erant, ac hospitales, seu ad hospitum usum extructæ, utpote pro iis, quibus aqua domi deficiebat, ut Cicero innuit *orat. pro Cælio.* Verùm Xenia simpliciter sumpta munus erat hospitale, sicque vocatur ab *Apuleio*, quorum benignissimus usus adeò frequens erat, maximè hospitibus, ut inde lepidissimus Martialis occasionem [illegible]

sumeret

sumeret suum *Distichor.* librum *Xeniorum* nomine inscribendi, cujus tertium epigramma hoc est:

Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas,
Si tibi tam rarus, quàm mihi nummus erit.

Quæ Xeniorum vox picturis quandoque tributa. Vitruvij locus docet *lib. 6. X.* cùm *fuerunt Græci delicatiores, & ab fortuna opulentiores, hospitibus advenientibus instruebant triclinia, cubicula, cum penu cellas. Primoq; die ad cænam invitabant, postero mittebant pullos, olera, ova, poma, reliquasq; res agrestes: ideò pictores ea, quæ mittebant hospitibus, picturis imitantes, Xenia appellaverunt. Ita patres familiarum in hospitio non videbantur esse peregrè habentes secrètam in his hospitalibus libertatem, &c.* Ex quibus verbis plura, quæ ad rem nostram pertinent, maximo vetustalium lumine. Hospites quidem absentes muneribus missis conciliabantur, ut Cedicus Remulo, quem medijs phaleris & cingulis, aureis bullis, hoc est, clavis insignitis, hospitio sibi junxit scribente *Virg. Aen. 9.*

Euryalus phaleras Ramnetis & aurea bullis
Cingula Tyburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona hospitio, cùm jungeret absens
Cedicus ————————

Clariùs id explicat eruditissimus Servius: *Consuetudo erat apud majores, ut inter se homines hospitij jura mutuis muneribus copularent, vel in præsenti, vel per internuntios.* Sic hospitalitatis munera legimus ad Cyrum ab Armenio missa, testimonio *Xenoph. 3. Cyropæd.* Similia à Trapezuntiis Græcos accepisse idem narrat *de exped. Cyri lib. 4. in fin.* à Sinopensibus *lib. 6. initio*, & singulariter ab Heracleensibus far, vinum, oves, boves, & similia. *ibid.* Accepit hæc Telemachus à Nestore *Odiss.* 3. ibi:

Cenda dedit mulier panem, Bacchiq; liquorem.
Atque cibos, comedunt Reges quos ritè beati,

Iis sæpissimè hospitij jure, dimissis ægrè ac discedentibus plura semper, juxta eorum sortem, tribuebantur. Hâc munerum spe nonnunquam advocabantur. Facit illud Getæ apud *Terent. in Phormione act. 1. sc. 2.*

———————— evenit senibus ambobus simul
Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam
Ad hospitem antiquum: is senem per epistolas
Pellexit, modò non montes auri pollicens.

Sic pueros dulciarijs legimus abblanditos apud *Homer.* ibi: *Dulciaria ego quidem multa dabo.* De qua re Apollonii Rhodii Scholiastes *lib. 3. bellaria, mattya:* ex quibus nec incõgruè derivata *Mazapanis, marsapane, cupedia, cupeta,* bucellatus panis, & similia dulciaria, quæ invicem in Italia Natalis Domini sacris diebus mittuntur, eorumque consuetissima esca, existimat *doctissimus Thomasin. in libello de Tesser. Hospital. cap. 28.* Plura videnda remanent de muneribus hisce *in miscell. Politian, varijs Budæi loc. & in Histor. Deor. Gyral. syntag. 2.*

Ex legibus autem nostris, præcipuè *ex tex. l. penult. §. ult. & pen. ff. de leg. 3. & l. 7. C. de prox. sacr. scrin.* animadverto Xenia ob Ecclesiæ introitum fuisse elargiri consueta, & collegio, curiæ, corpori, quod egregius Trajani Panegyristes firmat *lib. 10. cap. 40.* idemque usitatum pro sacerdotij introitu apud *Tranquill. in Claudio cap. 9.* At hæc abusivè Xenia, propriè namque *Sportulæ.* Quibus addo Xenoparochi munus fuisse (Græcis tamen, cum Romanis affirmare non ausim) ad publicè munera hospitibus contribuenda, ut ex *Arcadij tex.* apertè deducitur in

l. mu-

l.muner. tit. de munerib. & *Nebrissens. Xenoparochi*, inquit: *Qui peregrinis res ad victum necessarias præbebant, ijdem ferè ac Parochi*, qui ex Venusino 1. *serm.*

————————præbent ligna salemq;.

Fortè etiam quia multiplicia, sed non admodum dissita publica essent ac privata Veterum munera: qua in re Proconsulibus erant ac Provinciarum Præsidibus plura jure publico sancita, quæ paulatim temporis tractu evanuêre, ita ut ad nostri temporis magistratus producenda haudquaquam sint. *Rhodigin. lib.* 18. *cap.* 5. & deinde *Ianus Langlaus*, qui in enarranda pergit Xeniorum materia *lib. 6. semestr. cap.*1. Nec prætermitto etiam discedentibus amicis præcepta quædam ad benè vivendi normam præstita fuisse, memoriæ profectò mandanda, quemadmodum receperunt Lucianus à Minoe, & Medea à Jasone apud Euripidem, ejusque Scholiastem. Sic hodie Germani peregrinantes librum afferunt inscriptum *Album amicorum*, in quo inita cum viris dignis assuetudine, curant eorum nomina propriomet calamo cum aliquo morali adagio, vel simili re exarari, ut veluti hospitales tesseras secum asportent: quâ formâ non semel Romæ contigit nobis exterorum benevolentiam comparare.

Apud rusticos etiam Venatores Hospitalitatem foris commendatissimam demonstrat *Dion. Chrysosth.orat.*7. dum: *Tametsi*, inquit, *divitibus inferiores sint propter paupertatem, in eo, quod eleganter vivendum attinet, naturâ tamen, & alijs omnibus in rebus sint superiores. Atque etiam quod scripsit Euripides, considerans nempè, an reverà illis obstaret paupertas, quominus hospitibus inserviant, atque neque subjectum recipere queant, aut ullâ in re quemquam adjuvare egentem, nusquam ir-*

ve-

veni rem illis ita habere circa hospitalitatem. Quippe invenio quòd & ignem accendant promptius, quàm divites, viamq; ducant monstrentq; absque excusatione, quandoquidem & hac sibi dives pudori esse duceret. Persæpe quoque communicant ea, quæ habent, alacrius, &c.

De hospitivis viridarijs ad hospitum oblectationem alicubi constitutis conjecturam sumpsimus ex Spartiano ibi: *Quo quidem tempore* (Adrianus) *non sine gloria gravissimum periculum adijt apud Tarraconem spatians per hospitiva viridaria, servo se* (*hospitis*) *cum gladio furiosius irruente.* De Hospitum verò gradu atque ordine ex more ejusdem populi Romani, nempe quòd præsit clienti, cognato & affini, videndus est *Gell. lib. 5. cap.* 13. Quæ cuncta meritissimam Ethnicorum sapientum erga hospites liberalitatem satis apertam reddunt.

Procedimus ad sacras & religiosas in hoc fidelium consuetudines, quæ primævis temporibus Gentilium quoque apparent calculo fulcitæ, dum impudentissimus Atheus & Christianorum hostis Lucianus in dialogo Peregrini, in quo plura futila de persona sibi subjecta effingit, quoad mores tamen calamo depictos haudquaquam improbandus, exterum impostorem quendam inducit, qui omnia & spem ultimum malorum pharmacum perdidisse videat, rebus cunctis ad extrema redactis, nisi eam in benignitate Christianorum erga advenas & peregrinos collocaret: quo acto ad illos sese conferre non distulit, animo tamen fallaci & subdolo; verùm peregrini specie & habitu ab ijs illicò acceptus fuit, humanissimis officijs & uberrimâ stipe locupletatus, quanquam desciscens deinde à Christiana lege, & ad impijssimum ethnicismum revertens,

tens, finem miserrimum & commeritum vitæ suæ imposuerit.

Patet hinc, quàm pij ac benevoli erga peregrinos veteres fuerint Christiani, dum omni molestiæ genere prohibito quæcunque misericordiæ opera ijs exhibebantur, quorum in numero singularè profectò erat pedilavium, officium Ethnicis primùm à mulieribus quoque honestissimis præstitum, ut scribunt *Athen, lib.* 1. 8. ibi: *Introduxit*, Homerus, *puellas & mulieres, quæ lavant hospites, quasi neque inflammationem, neque intemperantiam patiantur, quia benè vixerunt. Antiqua autem hæc est consuetudo.* & *lib.* 12. *cap.* 30. & *lib.* 13. *cap.* 17. atque *Heliod. lib.* 2. *histor.* Deinde Romanarum non modò fœminarum, sed quorumcumque etiam egregij nominis virorum ministerium. Antiquissimum constat hoc fuisse exemplo Patriarcharum in *sacra Scriptura Gen. cap.* 18. 19. 24. & 43. ubi plura insinuant *Chrysost, & August.* ille nempè *homil.* 41. hic *ad solit. vit. agent.* & ex *cap.* 19. *Iudic.* Quod idem fideles hospitibus suis factitâsse, post *Apost.* 1. *ad Tim.* 5. inter notas probatæ viduæ, sanctorum numerantem hospitalitatem cum pedilavio: quo in loco, exemplo Lydiæ ac Phœbes Christianarum mulierum Theodoret. adprobat. Scribunt ex Patribus *Athanas. lib.* 2, *hist. cap.* 11. dum captum Hermiam narrat, peregrinorum pedum lavationem obeuntem: ex Historicis Sozomenus hospitalitatem Serapionis Cyprij illustrantem; omnes enim aureo illo tempore sese ad id promptissimos spondebant, quemadmodum jam pridem Abigail 1. *Reg.* 25. cùm David ejus nuptias captaret. Divinum hoc præceptum misticis annotationibus confirmat Origenes; qui *homil.* 4. *seu cap.* 18. *in Genes.*

Acci-

Accipiatur, inquit, *aqua, & laventur pedes vestri. Docet quidem te per hæc Abraham pater gentium & magister, quomodo hospites suscipere debeas, ut laves hospitum pedes; tamen & hoc in mysterio dicitur. Sciebat enim Dominica Sacramenta nonnisi in lavandis pedibus consummanda. Sed nec illius præcepti tum pondus latebat, quo dicitur à Salvatore: Si quis non susceperit vos, etiam pulverem, qui adhæsit pedibus vestris, excutite in testimonium illis. Amen dico vobis, quia tolerabilius erit terræ Sodomorum in die judicij, quàm illi civitati. Volebat ergo prævenire, & lavare pedes, ne quid fortè pulveris resideret, quod ad testimonium incredulitatis excussum, posset in die judicij servari.* Inter Monachos verò plura hac in re consueta, quia denuntiato alicujus hospitis adventu, obviam ibant orientales, & Benedictini cuncti: Nitrienses verò in ipso occursu panem deferebant. Aliquando genuflexi aut prostrati eos adorabant: unde Apollonius apud *Pallad. cap. 52. Adorari fratres adventantes propterea*, inquiebat, *traditio habet, ut certum sit in adventu eorum adventum Domini Iesu Christi haberi.* Et *Theodoret. in Philot. cap. 42. Vniuscujusque ex ijs, qui ad se veniebant, ambos amplectebatur pedes, & frontem terræ imponebat, sive esset miles, sive opifex, sive rusticus,* quemadmodum fecit Polychronius anachoreta. Oratione factâ, cum osculo excepti, ad Ecclesiam apud Nitrienses, & Monachos S. Apollonij cum palmis & hymnis deducti: per Abbatem ac fratres reliquos pedes loti, & ad refectionem cum charitatis officijs invitati, certando si pluralitas capacitatem hospitij excederet, cùm omnes admittere vellent. *Ruffin. cap. 5. de Relig.* civit. Oxyrincho: *Affectum*, inquit, *& honorem, quem nobis exhibuerunt, nec exprimere sermo sufficit, nec verecundia permittit,*

 quo-

quomodo palliola nostra scinderentur, unoquoque ad se trahente, & ad se adducere cupiente. Ipsi quoque magistratus & principales civitatis, & reliqui cives per singulas portas statuunt studiosè qui observent, ut sicubi adparuerit peregrinus, aut pauper, certatim ad eum, qui præoccupaverit, adductos, quæ necessaria sunt, consequatur. Ob eorum adventum ne deesset jucunditas ulla, monachis Ægyptijs jejunia quotidiana infringere licebat, non tamen legitima, sive quæ lege Ecclesiasticâ essent præcepta: quod permittit apertè Regula S. Benedicti, & *Cassian.* testatur *lib. 5. cap. 24. & 25.* eosque cibis spiritualibus, disputationibus scilicet de humilitate, mansuetudine, aut aliâ virtute refici solitos *Pallad* scribit *7. cap.* qui *cap. 62. & 191.* astruit, nunquam hospites dimissos absque comitatu & viatico, quod exemplo Paphnutij, Melaniæ, Albinæ, & Piniani affirmat *Ruffin. cap. 16.* Fastidius autem, quem falsò nonnulli credunt Augustinum, *lib. de vita Christ. cap. 15.* quid olim de mente Apostoli faciendum esset, quidque suo tempore improbis superbiæ extimulationibus aliqui negligerent, abundè explicat. Pro certo tamen est in publicis Xenodochijs à priscis fidelibus pijssimè præstitum, ut nominatim in SS. Gallicano & Pammachio observat commendatque *P. Theoph. Rainaudus in Ascet. p. 4. cap. 5.* qui ea fortè sumpsit à *P. Gretsero de peregrin. lib. 3. cap. 9.*

Caput autem hoc absolvemus supremo illo adnotato pietatis signo, quod publica erga hospites defunctos monumenta condere Veteres docuit; proditor enim ille immanissimus Judas Iscariotes in sepulturam peregrinorum agrum figuli ex 30. sibi redditis argenteis comparavit, cujus terræ pars

non-

nonnulla, jussu Helenæ Imperatricis ad Campum sanctum propè Vaticanum Romam delata, peregrinorum tantùm corpora etiam hodie ad sepulturam admittit, de quibus compendiario 24. horarum spatio carnis substantiã ossibus solummodo residuis penitus consumit. *Adricomius ex plurib. scriptor. in descript, Hierusalem n. 216. pag. 173.* Et alia pars idem efficit in celeberrimo Pisano cæmeterio: nostro verò sæculo, Urbani VIII. Summi Pontificis beneficentia similis portio ad Romanum, in novo cænobio PP. Capuccinorum, sarcophagum avecta, intra idem temporis spatium eadem ostendit.

CAPUT IV.

Ex Tesserarum usu ostenditur Hospitalem necessitudinem jampridem contractam. Egregia vetusque fertur Inscriptio, & scholijs illustratur.

QUod præcipuum Iuris Hospitalitatis testimonium, patens equidem vividumque fuerit Priscis Tessera, nos in superiori capite obiter attigimus, hîc autem velut in propria ac certa sede elucidandum sumimus. Tesseræ hîc nomine haudquaquam intelligimus lusoriam figuram Græcis in Aulide existentibus, post literarum & numerorum inventum à Palamede, ut *Philostrat.* meminit *in Heroicis*, primum excogitatum, in qua potius valet sors & casus, quàm ratio & consiliam. Sed signa quædam consulto inter aliquos inventa, ad nonnihil jure hinc inde exigendum adhibita; quæ vocantur et-

iam *tabulæ*, vulgò *taglie* ex ænea vel lignea materia, & geminæ fabrefactæ.

Earum multiplex olim genus: *Frumentaria* scilicet, quæ signum erat exhibitum, ut quisque frumentum seu panem gradilem & civicum, aliquando etiam vinum, & oleum pro portione accipere posset à Principe, juxta sancita in *tit. C. Theodos. de Annon. civic. lib.* 15. *ubi Gothofred.* patetque ex *Sueton. in August. cap.* 40. *& seq.* Rursus *Militaris* quæ signum erat bellicum Tribuno porrectum, quo socii milites ab hostibus facilè dignoscebantur. *Comitialis* à suffragatoribus, dum honores distribuerentur, adhibita. *Nummaria*, symbolum nempè ab Imperatoribus populo, ut denarios acciperet, præstitum. *Negotiatoria* in contractibus usitata, quemadmodum hodie apud Mensarios, ut mercaturam in alienis regionibus exercere valeant. *Paganica* ex commercio inter municipia inito, emanata. *Theatralis* ferarum signis, vel aliis rebus inscripta, quam editor è loco superiori in theatrum libenter cupiebat effundi teste *Dione Cassio lib.* 49. *&* 59. *Convivalis* ad normam prorsus scripti alicujus in cochleari, vel alibi, quod tentatâ quisque sorte ad convivium exhibendum habebat, notissima apud *Lamprid. in Heliogabalo*: cujusmodi forsan ea est hodie, quam præberi observatum fuit, à Calvinianis exteris certo illius sectæ ministro in præsumptæ communionis testimonium, ut ad sacram cænam, quam vocant, facilè admitti queant. *Lusoria* quoque huic similis, sed multiplicis generis, quam aliis de causis elargiebantur: & nostra demum *Hospitalis* nono loco, totidem enim tesserarum genera enumeravimus, quæ refert, etiam Vir memoriæ immortalis *Tomasin.* in *[illegible] tesseris hospit. libello cap.* 16.

Hæc nil aliud erat, quàm talus vel lignum longiusculæ formæ utrinque discissum, & adæquatè respondens, cujus dimidiam partem quisque hospitum retinebat, quandoque nominibus eorum inscriptis, ut cùm alter alterum adiret, jura hospitalitatis exhibitione & applicatione lignorum ijs, quibuscum contracta fuerant, amicè renovarentur. *Antiquus Euripidis Scholiastes* rem patefecit, hospitalemque ex illa necessitudinem sic manifestam reddit: *Qui hospitio accipiebantur ab aliquibus, tesseram dividentes, alteram quidem partem sibi reservabant, alteram verò ijs relinquebant, à quibus erant excepti, ut si opus esset, vel ipsos, vel ipsorum posteros eodem rursus uti hospitio, dimidiatam illam tesseram proferentes, jus hospitij renovarent.*

Vel erant quandoque Tesseræ cereâ imagine impressæ, à Symposiarchis ut plurimùm tanquam sigillum ac fidele pignus adhibitæ ipsomet tempore ad cænam venturo, seu ob onus impensarum laturum. Suadet *Plaut. in Sticho act. 3. Sc. 1.*

- - - eo condixi, in symbolum
Ad cœnam.

Aut in nummo aliquo exhibebantur, capitibus quidem amicorum signato, quo diviso media pars apud non proficiscentẽ remanet cum peragrantis imagine, alia autem pars cum amici stantis imagine apud discedentem, ut clare in Aug. Cæsaris & M. Agrippæ nummo conspici apud Cl. virum Chifletium in *Anastasi Childerici Regis* testatur, affertque supplens *Id. Tomasin. ibid. cap. 28.* qui jucundissimis iconibus ex antiquitatis fonte, in eo opere hanc materiã illustrat.

Addit præfatus *Euripidis Scholiastes in Hippol.* aliam Tesseræ inventæ rationem, ut nimirum fraudes

olim vitarentur, ſordeſque ac variæ, quæ incidunt ſæpiſſime in diverſoriis, moleſtiæ. Amicum enim peregrinantem abſque ulla morâ ſeu humanitatis defectu amicus mutuò excipiebat hoſpitio : &, quod magis, ſi quis ex domeſticis è loco in locum commearet, dummodo proferretur ab accedente domeſtico teſſera, cujus profectò beneficus uſus in totam debebat migrare familiam. Nonnulla hodie in Gallia priſci illius moris vigere veſtigia, quæ in ejus provinciis à nobilibus potiſſimum ſervantur, accuratè obſervavit *Budæus ad l. poſtlim. de captiv.*

Firmum autem adeo cenſebatur hocce Teſſerarum jus, ut ad poſteros aut hæredes contrahentium tranſire omnino videretur, quod expreſſit egregie *Plaut. in Pænulo*, ubi narrans hoſpitii jus, quod inter Hannonem Pœnum & Agoraſtoclem Antidami filium interceſſerat, eò quia ille cum hoc vinculum hujuſmodi contraxerat: *Ego hîc*, inquit Hanno, *hoſpitium habeo, Antidami filium quæro.* Quo invento addit; *Teſſeram conferre ſi vis hoſpitalem etiam attuli.* Subinfert Agoraſtocles: *Agedum huic oſtende. Et par probe.* Subdit Hanno. *O mi hoſpes ſalve multum, nam mihi tuus pater, Pater tuus hoſpes Antidamus fuit. Hæc mihi hoſpitalis teſſera cum illo fuit.* Propterea hoſpitalem teſſeram diligenter aſſervabant. Hanc vero confregiſſe dicebatur qui jus hoſpitii violarat, hoc eſt, ut ait Eraſmus, qui ſibi reditum in domum aliquam præcluſerat. *Plautus* quoque *in Ciſtellaria* : *hic apud vos jam Alceſimarche confregiſti teſſeram.*

Inſuper ab Ethnicis cum jure hoſpitii teſſerarum conſuetudinē ad fideles primævos tranſitum feciſſe patet manifeſte, dum *S. Epiphan. hæreſi 26. cap. 4. Antiqui fideles*, ait, *ſeſe mutuo hoſpitio excipiunt. Habent*

certam

certam tesseram &c. Quæ à *Tertulliano de præs. c.* 20. inter Catholicæ communionis symbola enumeratur iis verbis : *communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.* Quæ sic exornat Eminentissimus *Card. Baron. ad ann. Christi 75. Intelligit ipse contesserationem determinatum signum quod quisquis gerebat, à fidelibus tanquam legitimus Ecclesiæ filius hospitabatur, quod signum cum ab hæreticis fuerit adulteratum, à nostris quoque immutatum fuit, & demum ad epistolas translatum, quas Patres Concilii Nicæni formatas appellarunt. Tesseram vero non conjungere idem erat ac à fidelium communione sejungere.* Ex quibus plura remanent explicata, & maxime dignoscimus Hospitalitatem, sive jus hospitii apud Gentiles quoddam commercii genus fecisse, quo ex facto hospitium mutuo debebatur, diversum prorsus à Christiana hospitalitate, quæ ex nobiliori misericordiæ objecto specificatur.

Verum ut ad hæc tempora nonnihil aptandum promatur, hospitalitas Christiana sufficiens omnino viaticum existimari quit, si media virtutum theologalium exercitatione, Divinæ penitus nitatur providentiæ juxta illud Christi Servatoris *Matth. X. non peram in via, neque virgam &c.* quo in loco per virgam, cum accipiatur (ex interprete & glossatore laudatissimo *Io. Alba in lib. Elector. pag.* 337.) ea, cui insculpta erat contesseratio & signum amicitiæ, ut virga sit prorsus idem quod amicitiæ tessera, quam ostendebant, ut ex eâ quasi amici reciperentur cum ad amicos incognitos diverterent, sensus Evangelicus ex eodem est hujusmodi : *Nolite humanis niti præsidiis, nolite ferre tesseram amicitiæ, ut ex eâ recipiamini;*

mini. Deus enim vobis providebit de hospitio & hospite. Cui & nos, literalem hoc loci sensum parum vivificum animadversi, libenter subscribimus.

Redeundo tamen ad priscos mores Hospitii jus ex tesseris prædictis, vel ex conceptis aliquibus verborum formulis dudum exortum non ambigo. Hinc hospitium facere iis profecto erat pactum de certis negotiis inire, ut ex nonnullis tabulis Brixiensibus scite arguit *Tomasin. prad. lo. cap.* 3. gemino textu fulcitus, Simmachi scilicet, qui aptatur privatis hominibus *lib.* 9. *ep.* 118. ibi: *Hospitem tuum Faustinum Senatus amplissimus in societatem recepit, tanta apud nos testimonii tui antiquitas est, ut differri quæ velis instar injuria sit.* & M. Tull. *in ult. Verrin.* qui: *decernunt* (sic inquit de Senatu Syracusano) *statim ut fratri meo hospitium publice fieret, quod is eandem voluntatem erga Syracusanos habuisset, quam ego semper habuissem. Id non modo tum scripserunt, verum etiam in ære incisum nobis tradiderunt.* Et in veterum numismatum conjecturis sæpe variarum urbium æque distantium *Concordia* visitur exsculpta, quæ ad jus hospitii absque ulla prorsus hæsitatione refertur, ut singulariter ac novissime censuit Vir summus Ezechiel Spanhemius in suo doctissimo de Præstantia & usu Numismatum codice.

Constat jam ex prædictis quâ ratione inter privatas primùm personas, & deinde inter publicas jus iniretur hospitii; quos tamen ut melius universim innotescat, adjiciemus ex aurifodinâ Antiquitatis egregiam & nusquam editam inscriptionem.

M. LI-

M. LICINIO CRASSO
L. CALPVRNIO. PISONE COS.
IIII. Y MAIAS.

GENTILITAS. DE SONCORVM. EX GENTE ZOELARVM
ET GENTILITAS TRIDIAVORVM EX GENTE IDEM-
ZOELARVM HOSPITIVM VETVSTVM ANTIQVOM
RENOVAVERVNT EIQVE OMNES ALISALIVM INFIDEM CLIENTELANQVE SVAM SVORVMQVE LIBERORVM POSTERORVMQVE RECEPERVNT. EGERVNT
ARAVSABII. CAENI ET. TVRAIVS CLOVTI. DOCIVS FLAESI
MAGILO CLOVTI BODECIVS BVRRALLELAESVS CLVTAMI
PERABIENVM PENTILI MAGISTRATVM ZOELARVM.

ACTVM CVRVNDA

GLABRIONE. ET. HOMVLIO COS. V. IDVS IVLIAS
IDEM GENTILITAS DESONCORVM ET GENTILITAS
TRIDAVORVM. IN EANDEM CLIENTELAM. EADEM FOEDERA RE-

CEPERVNT. EX GENTE AVOLGIGORVM
SEMPRONIVM PERPETVVM ORNIACVM ET EX GENTE
VISALICORVM ANTONIVM ARQIVM ET EX GENTE
CABRVACENICORVM FLAVIVM FRONTONEM ZOELAS
EGERVNT
.L. DOMITIVS. SILO. ET
L. FLAVIVS. SEVERVS
ASTVRICAE

Hæc ex Bibliotheca Cl. V. Domini Don Laurentii Ramirez de Prado Madriti Romam attulit Eminentissimus ac Reverendissimus D. Camillus Maximus S R.E. Cardinalis, quam & ipsam transcribendam humanissime suppeditavit, nobisq; exhibuit singularis priscæ eruditionis cultor D. Jo. Petrus Bellorus. Est porro ænea tabula, sive hospitalis tessera palmarem magnitudinem excedens, quæ continet veteris hospitii sive hospitalitatis renovationem inter familiam seu Gentem Desoncorum, & Tridiavorum ex oppido Zoelas prope Asturiam: quæ gens utraque vicissim sese liberos posterosque in fidem clientelamque recipiunt, & præcipue nominantur Turaius, Docius Magilo Bodecius Elæsus, in actis publicis Magistratus Zoelarum, Consulibus M. Licinio Crasso & L. Calphurnio Pisone anno ab V.C. 77. sub Tiberio.

Subsequentibus postea Consulibus Glabrione & Homulio anno sub V. C. 904. sub Antonino Pio utraque familia & Gens Desoncorum, & Tridiavorum

vorum in eadem clientelæ & Hospitii fœdera receperunt, Sempronium perpetuum ex gente Avolgigorum, & Antonium Arquium ex gente Visaligorum, & Flavium Frontonem ex gente Cabruagonigorum. Hoc itaq; Hospitii fœdus initum est inter privatas personas: antecedens vero tessera est fœderis renovatio quæ recipit universas familias.

CAPUT V.

Hospitalitas viguit potissimum in publicis Hospitiis. Hæc quandonam & à quibus primitus extructa?

DEscriptis personis inter quas, sive ex licito contractu, sive ex honesto quodam debito jus olim Hospitalitatis vigebat, ejusque adductâ satis formâ, sequitur de loco, vel tacito amicorum usu recepto, vel peculiari lege ad id instructo: Quo in explicando obiter moneo voces *Hospitium & Hospitale* tanquam synonimas apud Auctorum plerosque pro eadem re sumi, & si hospitale sit minus latina, usitatior tamen recentioribus, & per consequens imposterum nobis frequentior: à Gallis dicitur *Hostel de Dieu*. *Hospitium* sermonis græci vocabulum esse judicat *Isidor. lib. orig.* 15, *cap.* 3. eoque locum intelligi, ubi quis ad tempus hospitali jure inhabitat, & iterum inde transiens migrat. Veteres latini vocem hanc *Hospitale* habuere aliquando in usu pro parte domus, quam opulentiores hospitibus advenientibus instruebant, eaque utitur *Vlpian. in l. si vero de his qui dejece.* vel *effu.* & *Io. Calvin. in Lexic.* non admodum accurate significare ait quicquid est hospitis

tis sive ad hospitem pertinet apud Latinos: verum Ecclesiasticos eo verbo ad libitum uti. *Xenodochii* vero nomen, quemadmodum *Monasterii*, novum longe post res significatas adinventum fuisse scribit *D. August. tract. 97. in Ioan.*

Quicquid tamen de hoc sit, geminum fuisse priori ævo Hospitiorum genus, privatum scilicet publicumque certi juris est: primum in singulorum ædibus, existimo tamen patriciorum: alterum in publico loco ad eundem profecto finem fundatum; ex quo fortè duplex Hospitalitatis jus: alterum privatum Græcis dictum ἰδιοξενίαν, alterum publicum προξενίαν, de quo passim Lexicographi. De privatis prostat *Vitruvij text. lib. 6.* ibi: *Præterea dextera ac sinistra domuncula constituantur, habentes proprias januas, triclinia & cubicula commoda, ut hospites advenientes, non in peristylia, sed in hospitalia recipiantur*: quemadmodum videtur egisse mulier Sarephtana erga Prophetam Eliam, quem in peculiari suarum ædium cubiculo, veluti hospitali, admittere consuevisse docet sacer *text. 3. Reg.* 17. Cicero quoque *offic.* 1. in privatarum ædium ædificatione hospitum rationem habendam esse censet, dum inquit: *Vt in cæteris habenda ratio, non sui solùm, sed etiam aliorum: sic in domo clari hominis, in quam & hospites multi recipiendi, & admittenda hominis cujusque generis multitudo, adhibenda est cura laxitatis*, quod theoricè puto significatum. Audiamus practicè. *Symmach. lib. 3. ep.* 14. *Deos enim facio testes, has domos, quarum alteram postulâsti, jam dudum à me hospitibus esse decretas.* Et Liv. *lib.* 1. *Exceptus benignè ab ignaris consilij, quum post cœnam in hospitale cubiculum deductus esset.* Et *lib.* 2. ibi: *Benignè excepti, in hospitia divisi*,

divisi, curati vulneribus : ex quorum postremo *Theod. Amyd. in de Piet. Roman. p. 1. cap. 3.* probare nititur fuisse Hospitalia Romanis, cui & nostrum calculum adjungimus, quia ad illam plerique tanquam ad propriam parentem ex orbe universo exterorum confluebant, quâ facili de causa præstantissimum elogium communis patriæ promeruit apud *Athen. lib. 1. cap. 1.* Idem *Liv. lib. 45. Rhodiorum legati* (ipsorum verbis utitur) *antea ex publico hospitio in Curiam gratulatum vobis veniebamus.* Eodem sensu *Val. Max. lib. 5. cap. 1.* scribit Senatum excusatione usum erga Regem Ptolemæum, quòd non eum publico hospitio excepisset. De legatis publico hospitio & mensâ exceptis consule *Brisson. lib. formul. 2. pag. mihi* 281. Mea verò conjectura est locum fuisse ad arbitrium à publico sancitum ad usum Magnatum, non autem particulare pro cunctis advenis hospitium, ita observatâ voce *publicum* : idque patet exemplo illius, quod in monte viminali aut exquilino pro peregrinis maximè orientalibus extructum fuisse *Iuvenal.* refert *sat. 3.* In privatis Græcorum observat *Rhodigin.* 27. 24. inter ea & peristylia itinera constituere moris fuisse, mesaulas dictas, quòd inter duas aulas media essent. Publica ipsis ampla satis erant, & ad peregrinorum usum accommodata, adinstar Cretensium, quorum utrisque cœmeteria appellabantur, ut patet ex *Athen. lib. 4 cap. 1. Strab. lib. 1. de reb. Eccles. Rhodig. lib. 18. cap. 26.* Et ex modernis *Hieron. Roman. in tract. de las Republicas del Mundo lib. 4 cap.* 4. ex quo nonnulli posterioris ævi Auctores hospitia pro mortuis cœpisse postmodum ædificari, excogitârunt. De voce *Xenodochij* veteribus hospitijs aptatâ vide *Plin. lib* 12. *cap.* 14.

Lam-

Lamprid. in Alex. cap. 48. & *Guther. de officijs domûs Aug.* Verùm hanc præclaram assuetudinem in Acragantinis advertit commendatque *Diodor. Sicul. lib.* 13. *fol.* 365. hæc scribens : *Ditißimus verò fermè omnium eâ tempestate Gelpias quidam erat, qui in plerisque domûs suæ hospitalia constituerat habitacula, certosq; ex familia ad id delectos, ut advenas quoscunque eò transeuntes, ad hospitium invitarent : Idem quoque à multis factitatum esse Acragantinis, qui syncerâ priscæ ætatis benignitate & mansuetâ consuetudine vitam traducebant. Inde Empedocles de hujusmodi viris cecinit : Verecundi hospitem portus flagitij expertes. Quin aliquando cùm quingenti equites ex urbe Gela eò accessissēt, brumali tempore, ut refert Timæus in decimo libro, ipse unus eò cunctos intra lares suos excepit, moxq; introductis indumenta tunicasq; singulis distribuit. Et Polycletus narrat in histotorijs de illius domûs cella vinaria, quæ se, dum Acragante militaret, spectâsse dicit. Fuisse autem in ea* 300. *dolia ex eodem saxo excisa, quorum unumquodque centum amphoras caperet. Hæc, juxta labrum ingens natatorium parietibus undique incrustatis, amphorarum capax mille, ex quo defluebat liquor in vasa.* Quinimò sacrorum causâ peregrinantes hoc modo paucis vult exceptos *Lucian. de Syria Dea*, dum ait : *In sacra civitate publicus hospes excipit ; Certi enim uniuscujusque civitatis hospites ibi sunt, & quod ex patria cujusque venit, id denuò apud se recipit.* Non enim cunctis commodum erat permittere, ut ob hospitalitatem propria pateret mensa, quemadmodum in Cornelia C. Gracchi matre admiratus refert *Xylander*.

Egregia profectò sunt præfata utriusque generis Hospitalitatis testimonia : ne tamen obscurus maneat primus hujusmodi ædium fundator, *D. Isidori*

Hispa-

Hispalens. verba refero *loc. superiùs adduct.* quibus difficultatem videtur evacuare, ut vix aliud in hoc expetendum sit: *Cùm Hierosolymam Antiochus obsideret, Hircanus Princeps Iudaorum, reserato David sepulchro, tria millia auri talenta inde abstraxit, ex quibus 300 Antiocho dedit, ut obsidionem relinqueret, atque ut facti invidiam demeret: fertur ex reliqua pecunia primus Xenodochia instituisse, quibus adventum susciperet pauperum & peregrinorum, undè vocabulum sumpsit. Nam ex græco in latinum Xenodochium, Peregrinorum susceptio nuncupatur.* Idem prius scripserant *Ioseph. lib. 13. antiq. cap. 16. & Hegesipp. lib.* 1. & si Gelenius Josephi interpres hallucinatus, ad primum id pauperum militum alimentum transtulerit. Et nonnulli ex servorum complurium emancipatione, ob Christianæ fidei incrementum, atque egestate opportunam primævam domorum hospitalium constructionem desumere conantur, quod patebit infrà ex Bodino. Ad Hircani præfati nihilominus exemplum Nosocomia ad ægrotantes de plateis collectos, inedijsque ac languoribus insumptos fovendos, cæteraque publica valetudinaria & hospitia postmodum instructa, cùm nullibi priorem inventorem legerim, existimare audeo.

Non tamen publicè in aliquo peculiari loco, juxta labentis temporis formam Hospitalitas initio Christianæ Reipublicæ observabatur; cùm enim communia tunc essent omnium fidelium bona, quæ ad Apostolorum pedes offerebantur, qui ea distribuendo, nihilque sibi reservando communibus cunctorum prospiciebant necessitatibus *c. scriptum est. c dilectissimis. c. futura. c. videntur* 12. *q.* 2. Fusè *Gabriel Pennot. in sua histor.* commune quoque inde se-

quebatur Hospitalitatis exercitium, & si nonnullis in dignitate Ecclesiastica constitutis domum propriam in hospitium advenientibus peregrinis consecrare permitteretur, quod ex duplici textu per *Tomasin.* relato planum fit; scribit enim *D. Paulin. ad Sever. epist.* 10. *Tugurium verò nostrum, quod à terra suspensum cœnaculo una porticu cellulis hospitalibus interposità longius tenditur, quasi dilatatum gratiâ Domini.* Et prius *D. Aug. in Psal.* 75. *Alij vovent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis advenientibus, magnum votum vovent*, quorum prior videtur innuere cellulas sibi fuisse hospitales. At consule *Card. Baron. ad ann. Christi* 316. *&* 400. Pauperibus verò peculiariter & melius consultum, bonorum subsequutâ divisione inter Episcopos & sæcularem Clerum pro medietate, ne ministri Dei, qui ad spiritualia munera debent esse continuò intenti, ad necessaria perquirenda vagari cogerentur: estque aperta Pontificij textûs dispositio in *c. antiquos canones* 10. *q.* 1. ijs autem ex quadruplici bonorum divisione post Episcopum, ipsosmet Clericos & fabricam locum tribui mandârunt frequentissimè sacri canones in *c. Vobis* 23. *c. Vulterana* 25. *c. concesso.* 26. *c. quatuor.* 27. *c. de redditibus. c. cognovimus. c. nos* 12. *q.* 2. & pluribus in locis sacrorum Conciliorum decreta. Exornant id *Gregor. Lopez in l.* 40. *tit.* 5. *p.* 1. *verb. los Pralados, Cresp. in summa Eccles. discipl. verb. Hospitalitas. Fusc. de Visitat. lib.* 2. *cap.* 13. *ex n.* 1. *cum seqq.* & novissimè *Frances in tract. de Eccles. cathedral. cap.* 27. *ex n.* 12. Sed vide ferè innumera apud *Lorin. in comment. Act. Apost. cap.* 10. *v.* 23. & latiùs *cap.* 3. *v.* 2. Nonnulla verò de Hospitalium origine in *lib. Guyon inscript. divers. Lecons. to.* 1. *fol.* 298.

Quàm

Quàm providi verò Ethnici in hoc fuerint, ex publica alimentorum apparet constitutione, de qua Paulus J. C. in *l. civitatibus* 122. *ff. de leg.* 1. ibi : *hoc amplius quod in alimenta infirma ætati, puta senioribus vel pueris puellisq; relictum fuerit, ad honorem civitatis pertinere respondetur.* Fuerunt enim alimentarij pueri per Italiam à Trajano instituti, *Dione* teste apud *Xiphil.* cujus, quemadmodum Commodi & Antonini, similis facti numismata & inscriptiones gratitudinis ergo profert *Ant. August. in Numism. tab.* 35. *n.* 13. & 14. *tab.* 42. *n.* 17. & *tab.* 11. *n.* 17. Sic Nervam pueros cunctos ac puellas per Italiæ urbes è publico ali jussisse scribit *Aurel. Victor in epit. August. cap.* 12. Quam liberalitatem Adrianum auxisse *Spartianus* notat *cap.* 7. Antoninus quoque Pius puellas constituit alimentarias ab uxore suà Faustina vocatas Faustinianas. Idem Antoninus Philosophus. Macrinus Imp. ex nomine filij sui Antonini Dradumedeni puellas Antonianas, ac Antonianos pueros dare spopondit, fuitque genus congiarij. Alexander Imp. pueros Mammianos ac puellas Mammianas instituit, dans populo pro victoria Persica congiarium, ut patet ex *Hist. Aug. scriptor.* Et admodum probabile est certo quodam loco veluti hospitali præstita hæc fuisse, quia & panis distributio medijs tesseris, ut scripsimus, determinato quodam loco fiebat, estque titulus in *C. Theodos. de pane gradili*: sed alimenta per tesseras exhibita nunquam legi. Expositi infantes omninò carebant hospitali; ad columnam enim lactariam, seu in quadrivijs deponebantur, ut à publica pietate ijs alimenta suppeditarentur, & compertum est, quòd quandoque à Lanistis in arte gladiatoria in-

structi, in publicis festivitatibus vendebantur. Veterani milites sub Janiculo stativa habuerunt, sive tabernam meritoriam, ubi hodie Basilica est S. Mariæ Transtyberim, & fons olei ad prodigium emersit tunc temporis, cùm Christus Servator natales habuit referente *Eusebio hist. Eccles.* 1. eratque mercenarium hospitium, ut deducitur ex *Papin. in l. Si fratres.* §. *Si quis. ff. pro socio. Vlp. in l. Vrbana* 198. *ff. de verb. sign.* & *Iulian. in l. Si ususfructus* 16. §. *item si domus. ff. de usuf.* quos citat *Famian. Nardin. in sua Roma lib.* 7. *cap.* 11. *fol.* 467. & ferè idem apud *P. Donat. de Vrbe Roma lib.* 3. *cap.* 21. *Gamucc. Antiq. Rom. lib.* 4. *fol. mihi* 162. qui Ravennatum civitatem Transtyberinam regionem appellat, cùm milites ex Ravenna ab Augusto ibi deducti essent, & *Gasp. Alver. in Roma in ogni stato p.* 2. *giorn.* 18. *fol.* 331. Verùm id, quod vulgus indubium existimat, peritiores contendunt, obscurus, cùm sit nimium, *Lamprid. in Commodo & in Alex.* à quo nonnulla derivantur.

Hanc Hospitalem pietatem, respectu maximè orphanorum, peculiari extructo Orphanotrophio primùm adhibuisse Zoticum, non Joticum ut aliqui Interpretes eum nuncupârunt, docet Leonis & Anthemij Augustorum ad Dioscorum Præfectum prætor. constitutio in *l. Omnia privilegia* 33. *C. de Episc. & Cler.* ubi *Petr. Barbos. n.* 3. & notant *Guid. Pancirol. in thesaur. var. lect. lib.* 2. *cap.* 171. *in princ. Lap. de Castelliono in tract. de Hospital. n.* 1. *inter tract. magn. to.* 14. *fol.* 162. & *Anton. Mornacius* nuper *in prad. C. tit. & l.* ubi plura congerit, cujus memoriam in album Sanctorum relatam die 30. Decembris in Martyrol. Rom. his verbis Card. Baronius testatur: *Eodem die S. Zotici Presbyteri Romani, qui*

Constantinopolim profectus, alendorum orphanorum curam suscepit. Alij tamen astruunt, Xenodochium pro peregrinis publicè enutriendis ipsum fundâsse. Verùm utcunque sit, ex eo textu omnes tradunt per tantum virum formam constitutam in pio quodam hospitio sive hospitali, ad cujus similitudinem cætera redacta postmodum fuerunt. Ita eruditus J. C. *Tholosan. syntagm. jur. to. 1. lib 15. cap. 28. n. 34.* De prima hujusmodi fundatione ita *Io: Bodinus lib. 1. Reipubl. cap. 1. Nihil antiquius ij habuerunt, qui prima Reipub. fundamenta jecerunt, quàm ut Christiani servi assiduè manumitterentur, ac plerique libertatis spe propositâ Christiani fierent. Inde servorum manumissiones apud Episcopos in Ecclesia factæ. Ex quo sequuta est Constantini M. in principatu tanta tenuium ac egentium multitudo, quibus nihil præter libertatem relictum erat, quippe nullas artes didicerunt, ut nulla re gravius civitates premerentur. Inde Xenodochia, Brephotrophia, Nosocomia, &c. antea penitus ignota.* Quia verò id in Græcia debuit primitus diffundi, brevi, sed præclaro *eloquentiss. Nazianz.* elogio testatum legimus *orat. 32.* ibi: *Valete domus hospitales & Christi amantes, infirmitatisque meæ adjutrices.* Quod insigne Christianorum exemplum sequutus impius Julianus, plures tunc hospitales domos in singulis civitatibus construxisse profert *advers. eund. id. Nazianz. orat. 3.* formulas perpetuò literarum Episcopalium imitans, quibus Christiani hospitio ubique recipiebantur, ut fatetur *Sozom. lib. 5. cap. 15.* extatque ejus epistola ad Arsatium Galatiæ Pontificem *lib. 6. histor. tripart. cap. 29.* ex qua constat summum quidem Ethnicorum erga pauperes peregrinosque, etiam alterius instituti ac religionis studium: quam in rem plura apud

eos Xenodochia, quibus de publico certam distribui mandari summam consuetum. Undè veluti præpostero zelo excitatus, universim repræhensus fuit Nicephor. Phocas Orientis Imperator, qui haudquaquam construenda monasteria, Xenodochia, & nosocomia statuit, eorum enim, quæ extabant, curam geri oportere melius fore opinabatur, quemadmodum in ejus *Novell.* 4. *lib.* 1. *juris Orientis per Bonfidium collecti constit.* 5. cujus deinde constitutio à Basilio juniore Porphyrogeneta fuit laudabiliter sublata, ut apud Balsamonem Antiochenum Patriarcham ibidem habetur, ex eo quia non ad Injuriam contumeliamque Ecclesiarum & religiosarum dumtaxat domorum, sed etiam ipsius Dei facta videbantur: notatque *Tholosan. de Republ. lib.* 13. *cap.* 17. *n.* 5.

Effluxit pijssimum hoc officium in portum Romanum, D. Pammachio viro peregrinis alendis unicè nato, in sententia *D. Hieron. epist.* 27. quod postea novo exemplo in ipsammet urbem induxit Fabiola, ex patricia Romanorum familia nobilissima fœmina, quæ à viro ob adulterium sejuncta, id sibi licitum putans, alteri nupserat, erroreque detecto publicâ pœnitentiâ crimen diluere studuit, dum facultatibus suis pauperibus addictis, Nosocomium prima instituit ad colligendos ibi de plateis ægrotantes, fovendaque consumpta languoribus atque inediâ infœliciorum membra, si D. Hieronymo sit fides præstanda *ad Ocean. epist.* 33. de quo etiam, post Pancirol. ubi suprà, *Barbos* qui videri potest in *collect. ad tex. C. De sacros. Eccles. jam cit.* ubi latè de omnibus. Verùm post S. Gregorij ætatem, qui, ut *Baron* scribit *ad ann.* 604. *to.* 8. eodem obijt anno,

exi-

existimat *Frances d. tract. de Eccles. Cathedr. cap. 27. n. 86* Hospitalia hæc initium sumpsisse, quæ initio idem fuissent ac Diaconiæ, quasi domus ministerij, ubi pauperes à Diaconibus, qui eleemosynas erogare sibi debebant, ministrarentur, de quo sit fides penes Auctorem. Quanquam primum fidelium hospitium (exterorum scilicet, ut puto ad normam tutissimi cujusdam asyli) fuisse in domo Prudentis præstantissimi Senatoris *Card. Baron.* scribit *ad ann.* 139. Ex quo mirum videtur Publium Victorem inter cuncta, quæ recenset, antiquæ Urbis ædificia, nullam hospitalem domum tradere, ut advertit *Bozius de signis Eccles. Dei to.* 1. *lib.* 10. *sign.* 42. qui vigintiquinque moderno tempore, valdè quidem amplas, magnificas & opulentas affirmat; & *Grappald. de partib. ædium*, inter modernos hospitalem nullum locum referat. Crederem tamen in primo, misericordiæ operum, quæ ignorabat, supinitatem haudquaquam redarguendam, in altero de charitate refrigescente silentium optimè factum.

Ardentissimum autem hujusmodi veterum Christianorum studium in omnes egenos, debiles, senes, peregrinos ac pupillos ab illo tempore semper extitisse, adeò ut omnibus passim Ecclesijs Nosocomia sua, seu Xenodochia essent, animadvertunt ex historicis *Theodor. lib.* 5. *Eccles. hist. cap.* 18. & *Sozom. lib.* 6. ex Jureconsultis *Duaren. in comment. to.* 2. *de sacr. Eccles. minist.* ac *benef. lib.* 2. *cap.* 4. Quod assequuti Ascetici patres primævi, celebre nullum cœnobium construxerunt absque hospitali *Anton. Yeres* probare nititur *in præf. chron. S. Ben.* idque fortasse sumpsit à Nicephoro apertè scribente *lib.* 12. *cap.* 42. *hist. Tripart. lib.* 9. *cap.* 31. hospitales do-

mos Ecclesijs olim junctas. Cujus rei rationem si parum delibare volumus, ex laudatissima senum ac vetularum spe faciliori aditu perpetuam assequendi gloriam, si ingravescente ætate in pio sacrove aliquo loco, absque ulla voti professione, omnia Deo, Ecclesiæ, & pauperibus donâtes deposuissent, hauriemus. Hinc est quòd frequentes legamus donationes: & in jure sit mentio aliquorum, qui se, suaque Deo consecrârunt. Sic *in auth. Si qua mulier.* & *l. Iubemus nulli in princ. in verb. patrimonium suum partemve certam patrimonij C. de sacros. Eccles. ca. in præs. de probat. can. si qua mulier. can. liceat* 19. *q.* 3. *c. consulti sumus de regularibus. can. qui bona agunt* 17. *q.* 1. *can. ut lex continentia* 27. *q.* 1. *ibique DD.* & fusè *Annæus Robertus Rer. Iudicatar. lib.* 4. *cap.* 2. qui legata aut donationes, quæcumque religiosis pauperum domibus fierent, in pias causas conferri majores existimâsse, subque conditione semper alimentorum ei, qui donaverat, præstandorum egregiè censet: easdemque omnibus superioribus sæculis causam animæ continere, ad remedium scilicet spirituale, ac remissionem peccatorum, ex vetustissimis constructionum & dotationum monumentis probat *Doctiss. Bignonius in notis ad lib.* 2. *Marculfi formul. cap.* 1. & *Klocb. consi.* 21. *num.* 57. *& per tot.* ex solemnibus & anniversarijs templorum dedicationibns exortum hoc hospitalitatis fomentum, ad veram comprobandam sanguinis claritatem multum conferens, judicatum voluit, nec inverisimili ratione, si finem Christianæ virtutis eundem undique ex varijs medijs spectemus.

Post animæ curam in universa profectò Christianorum Republica, ut Hospitalia pro corpore sive

alendo sive curando ædificentur, Viris Principibus, tum ex clarissimis veterum exemplis, tum ex allatis rationibus, nec contemnendum debet esse studium, quemadmodum post ferè innumera sacrorum generalium Conciliorum decreta, nuper Coloniense *in tit. de Hospital.* sapienter hoc modo sancivit: *Non solùm canonicis constitutionibus, sed & Imperialibus ac Regalibus institutis antiquitus pientissimè sancitum est, ut habeantur, quàm fieri potest, frequentia in Republica Xenodochia, Prochotrophia, Orphanotrophia, Gerontocomia, Brephotrophia, & id genus alia pietati consecrata, in qua recipiantur peregrini, pauperes, invalidi, senes, parentibus orbati atque inopes liberi, infantes expositi, furiosi, leprosi, contagiosi, ac perpetuis morbis obsiti, atque alia miserabiles personæ. Idcircò cura nostra imminebit, ut ejuscemodi loca ubi constituta sunt, sarta tecta teneantur. Denique ubi necdum constituta sunt, Episcopali nostrâ providentiâ ædificentur construanturque. Pauperum enim curam nobis Christus præcipuam esse voluit.* Quo effato ex Christiani Principis oraculo certè aliud nullum sapientius.

CAPUT VI.

Qualiter Aedes Hospitales per orbem propagatæ.

POsteaquam ingentia hæc, sive amicitiæ, sive misericordiæ bona hospitii jure genus humanum expertus est, pleræque urbes loco remotæ ac moribus dissonæ hoc sibi medio publicum ceperunt favorem conciliare, ita ut Gentiles una ac Fideles de eo, tum publice, tum privatim promo-

vendo vicissim certare viderentur. Multiplicia hinc est apud varios quod promantur Hospitalitatis exempla de augustis opulentisque hospitalibus à populis celeberrimis extructis. Itali in hoc adeo intenti, ut in adagium undique olim elaberetur illud. *Calabri hospitis dona*, teste Venusino 1.*epist*.7. & fusius *Alex.ab Al. lib*.4.10. De Germanis, præter ea quæ tradunt *Tacit.in de morib.Germ.& Mela lib*.3.hæc scribit *Diodor. lib*.5. *Ad mores erga maleficos & hostes sunt crudeles, erga hospites vero mites atque humani; Peregrinis enim omnibus hospitium ultro obferunt, hospitalitatisque inter se officiis certant. Quos peregrini comitantur, eos laudant & Diis caros arbitrantur*: qui de iis insimul & Gallis *ad convivia*, inquit, *peregrinos quoque invitant, cœnaque finita tum demum qui sint, quidque petitum venerint sciscitantur*, forte quia diuturna hæc ipsis foret assuetudo. De Cretensibus *Athenæus lib*. 4. eos hospitalissimos fuisse, cum passim per totam Insulam binas haberent semper in illis syssitiis extructas domos, quarum alteram in quâ hospites diversari atque dormire solebant. Commendantur hac de causa Mosyni à Stobæo *serm*. 145. Leucani ab Æliano 4. *var. hist. cap*. 1. Judæi à pluribus apud *Stuch.Antiq.convival.lib*.1.*cap*.-- Gothi *ab Olao lib*.4. *cap*.2. aliique passim apud alios. Verum nos de his fusissime lib.4.cap.ult.

Itaque laudatissimâ æmulatione hinc inde excitatâ, hospitales ædes paulatim admodum propagari visæ sunt, operam in eo viris clarissimis impendentibus: Eusthatius Sebastenus Episcopus Ærium ordinavit presbyterum, & præfecit Xenodochio quod in Ponto vocatur Ptochotrophium. Ita *S.Epiphan.hæres*.75.*cap*.1.qui *ibid.istiusmodi* inquit, *domicilia*

lia solent Episcopi excitare ex amore erga hospites. Ponunt illic mutilatos, i. [in]firmos &c. Magnus ille Basilius Episcopus Cæsariensis pauperum hospitia & Xenodochia construxisse, quorum unum nobilissimum ac suo nomine nuncupatum ferunt *S. Amphiloch. in vita ejusdem fol.* 187. *&* 188. *Niceph. lib.* 11. *Eccles. hist. cap.* 41. *& Sozom. lib.* 6. *cap.* 33. Constantinopoli Jo. Chrysostomus Sanctiss. Antistes nosocomium propriis ædificavit sumptibus Ibique hospitalis domus curator S. Nicephorus ex *Bollando in Actis Sanct. mensis Martii, to.* 2. Maximam Leprosorum domum ex piorum divitum collatione idem S. Basil. fundavit. *Greg. Presb. in vita S. Greg. Nazianz. fol.* 16. *&* 17. quam ob magnificentiam novam civitatem repræsentasse dicit *Nazianz. orat.* 20. qui plura Constantinopolitana Xenodochia enumerat *orat.* 32. & præsertim pauperum & mendicorum domum bonis quamplurimis locupletatam *epist.* 133. *cap.* 1. Ibique Isidorus S. Athanasii presbyter susceptor erat peregrinorum, referente *Palladio in Dial. de Actis S. Io. Chrysost. fol.* 20. De Hospitali S. Sampsonis presbyteri valde celebri, in quod languidi infirmique recipiebantur ab Justiniano instaurato post ejus exustionem scripsere *Procop. de ædific. Iustin. Imper. lib.* 1. *& Cedren. fol.* 369. *&* 387. eratque nuncupatum hospitale sanctæ Mariæ Sampson ab ipso Justiniano multis condecoratum privilegiis, ut in *auth. de Eccles. tit. §. ult. auth. si quicquid de impens. quæ fieri opor. Novell. coll. X. constit.* 59. & notat *Baron. in Martyrol.* 27. *Iunii litt.* E. constatque primarium fuisse, sub quo alia constructa essent, ut idem *Baron. ad ann.* 530. ubi; *Iustinianus*, inquit, *hospitia duo ædificavit, unum pro hospitibus peregrinis, alterum ut in eo requiescerent & refocilla-*

cillarentur pauperes & agroti, & hac in via quâ ad templum itur Hierosolymis. Cujus Sampſonici hoſpitalis ex *Cedreno ubi ſupra* Mennas presbyter præfectus, Patriarcha factus fuit, & laudatur *à Franc. Combefis lib.* 1. *auctuarii Biblioth.SS. PP.coll.*938. ſimile Theoph. Imperator extruxit, ut *Leo Grammat.* notat *fol.* 456. Juſtinus II. orphanotrophium ex æde SS. Petri & Pauli condidit per *Cedren. fol.* 390. qui Tiberium multa renovaſſe ſcribit. Pupillorum domum Alexius Comnenus reparavit, ſcholas adjungens, ex *Mich. Glyca fol.* 334. ſimilemque Catechumenorum Conſtantinopoli celebrem recitat *Nycetas Coniatis fol.* 154. quemadmodum plura incurabilium & advenarum gratia reparaſſe & conſtruxiſſe præfatum Cæſarem Juſtinianum *Procop.* refert *in hiſtor. arcana lib.* 1. *cap.* 11. 22. 26. *&* 27. *& lib.* 2. *cap.* 49. qui hac de cauſa horrendè populum expilavit, uti advertit *Evagrius lib.* 4. *cap.* 29. De Beliſario conſentiunt auctores omnes quod, Vandalis profligatis, Romæ duo Xenodochia ſuis ædificavit ſumptibus, quorum alterum in via lata, alterum flaminia extabat. Zonaras vero ſcribit de Alexio Comneno Orphanotrophium extruxiſſe puellis & pueribus utroque parente orbatis pecuniâ ſua refovendis. Ita Ravilius de Conſtantino Monomacho Imperatore templum inſtituiſſe profert ad alendos gravatos ſenio ac inutiles. Cuſpinus de Theophilo Cæſare Xenonem proprio feciſſe nomine ubi prius meretricum fuerat diverſorium.

Idem omnino creditur de Valente Imperatore, dum plurima ab ipſo, pietatis intuitu, donata memorat *Nicephor. lib.* 11. *cap.*: 8. Simile apud alios Imperatores, Mauritium ſcilicet, qui teſte Cedreno,

domum

domum quod vivarium sumptuosum dicitur, ad senes morbo confectos alendos condidit, plurimosque ad infirmos sustentandos suppeditavit sumptus: & Isaacium Angelum Imperatorem, qui ut *Nicetas* scribit *lib. 3.* Isaaci Comneni Sebastocratoris Manuelis Imper. fratris, ædes in Pandocheum mutavit, in quo centum viri cibum capere, totidem lectis cubare, & totidem equi stabulari valerent. Rursus Andronici Comneni Basilicam in Nosocomicum convertit, idemque in domo Magni Drungarii dictâ factitavit. Ecclesiæ igitur hospitia omnis generis infirmis abundabant, ex *Theodoreto lib. 5. cap.* 18. Prope Antiochiam in Daphne hospitium erat infirmorum *Evag. d. lib.* 4. *cap.* 34. Alexandriæ varia Xenodochia ac pauperum domus, quarum erant nonnulla Tabidorum *Conc. Chalced. act.* 3. Eleusius Cyricenus ad viduas alendas ædes paravit. d. *Theod.* Ludovicus Pius in monasterio Feloriacensi unum hospitale pro pauperibus, aliud pro nobilibus excitavit. Concil. II. *Tricacin. lib.* 13 *cap.* 1. & 2. Carolus Magnus disciplinam reparavit, statuitque ut peregrini hospites ac pauperes per loca diversa canonicas ac regulares habeant susceptiones. *Capitul. Aquisgran. cap.* 75. *Concil. Francofurt. cap.* 35. Ipse vero quosvis extraneos hospitio suscipiebat, eorumque numerum non tantum palatio, sed & toti regno onerosum scribit *Egenardus in ejus vita*, & quod S. Judoci pauperem cellam ad peregrinorum eleemosynam deputarit *S. Lupus. Epist. X. cap.* 1.

Duæ quoque fœminæ consuetudine hac, & sanguine augustissimæ, Eudocia scilicet Theodosii Imperatoris filia, & Pulcheria ejusdem Cæsaris soror: quarum prima pauperum domicilium ubi quadrin-

dringenti sacro morbo laborantes habitarent ædificavit, nec non pauperum quoque ac viduarum domos condidit, grandesque Nosocomiis redditus consecravit, referente id *Nicephor. lib.* 14. *cap.* 50. Altera vero pleraque hospitum ac pauperum condidit dotavitque domicilia. *Id. Niceph.* 15. 14. *& Sozom. lib.* 9. *cap.* 1.

Illustres in hoc præ cæteris Summi Pontifices, maxime D. Gregorius Magnus, qui plura Xenodochia extruxit virosque idoneos præfecit. Ita *Bolland. in Actis Sanctor. IX. Martii*, ejus monasterium pauper sed hospitale ipsemet nuncupat *lib.* 12. *ep.* 20. Symmachus, qui ad BB. Petrum & Paulum Apostolos, & ad S. Laurentium martyrem pauperibus habitacula construxisse, curasseque ne quid eis ad victum pertinens, juxta intensum suum erga pauperes amorem, deesset, scribit ex multis *Alphons. Ciacchon. in ejus actis* & de hospitali prope Basilicam D. Petri *Stephan. II. Epist.* 6. & Pelagius II. qui, ex Platina, domum paternam in pauperum senum hospitium elegit. Sileo D. Jo. Eleemosynar. qui plura Xenodochia & Gerontocomia condidit, ut legimus in ejus actis apud *Bollandum die* 16. *Ianuarii* B. Anselmum Nonantulanum in hoc valde similem apud *eund.* in *Martio fol.* 266. & præ cunctis D. Hieronymum, qui turmas quotidie hospitum habebat, ita ut nisi de nocte studere posset, ipso teste *lib.* 7. *super Ezech. in præfat.*

Inter egregios itaque cujuscumque conditionis ac sortis viros idem mirabili semper charitatis augmento factitatum. Sic Pachomiana regula peregrinos transeuntes hospitio recipi mandabat, qui tamen cum monachis in refectorio comedere non

pote-

poterant *Sozom.lib.3.cap.13.* qui *lib.5.cap.14.* Ecclesias & monasteria Palæstinæ à prima sua origine quosvis pauperes ac peregrinos recipere animadvertit: *Pallad. in histor. Lausiata* Isaaci monachi meminit, qui in deserto quo infirmis monachis aliisque ad ipsum confluentibus Xenodochium erexit: Macarii presbyteri ac præfecti Alexandrini pro mutilatis utriusque sexus in suis distinctis mansionibus Xenodochii: Nitriensis hospitalis in quo validi cogebantur ad laborem: S.Ephrem Edesseni Xenodochii cum 300 lectis dum fames grassabatur, & Lazarii in monte Oliveti. Plura quoque commemorabo, cum Ludovicus Pius ubicumque esset, Xenodochia secum haberet, quod ex *Thegani chronico* deduco *19.cap.* juberetque ubique fieri intra annum *epist.post Conc. Aquisg.* Attalus Civis Rhemensis ad S. Remigii petitionem duodecim Rhemis Xenodochia construxit ex *Filoardo lib.1. cap. 18. & 23.* canonicisque Rhemensibus pro peregrinis ac pauperibus recipiendis hospitale excitavit *Id.lib. 3. cap.10.* Ad S. Dionysii monasterium Dagobertus Rex Xenodochium cum diversis locis pro pauperibus utriusque sexus, & pro illis, qui illic miraculose sanantur, erexit. *lib. ejus vita cap. 30.* Francorum Reges varia fundarunt hospitalia peregrinorum, ut constat ex *Concil. Carisiac. cap. X. & Concil.Triden.lib.2.cap.14.* ubi Ludovicus Germaniæ Rex rogatus fuit ut eorum obligationi plene fiat satis, ac per probos viros regantur. De hospitali ad S. Germani monasterium Antisiodorense pauperum, pro quo singularia bona, & divitum peregrinorum, cui ex monasterii bonis decima debetur videnda *supplementa Concil.Gall.fol.178.* Sic etiam Chil-

Childebertus Galliæ Rex Lugduni maximum Xenodochium erexit cujus opulentia & cura in *Conc. V. Aurel. cap.* 5. describitur. Brunichildis Regina Francorum extruxit Xenodochium Augustodunense, cujus privilegia à *D. Greg.* referuntur *lib.* 11. *ep.* 8. Andrensis Abbatia ad suam portam extruxit hospitale pauperum. *Luc. Dacher. to. 9. fol.* 357. S. Conradus Constantiens. Episc. hospitale pro 12. peregrinis, *Chronic. Constant. in Episc.* 24. *cap.* 6. Ludovic. IV. Xenodoch. Ethal pro veteranis militibus, eorumque uxoribus, pro cujus dotatione multas spoliavit Ecclesias, *Chron. Henrici Rebdorff. anno* 1333. Leodij insigne fundatur Hospitale utriusque sexûs, *Magnum Belgij Chronic. fol.* 215. ibique est locus alter pro 30. pauperum alimento. *Anselm. Canonic. lib. de Episc. Leod. cap.* 90. qui Waronem numerat ibidem Antistitem augentem Ecclesiæ suæ hospitalitatem, ita ut omnes pedites absque repulsa recipiantur, equites verò gratiæ Episcopi relinquantur, duodecim quotidie peregrini in refectorio reficiantur. S. Lanfrancus Cantuariæ duo fundavit Xenodochia, *Matth. Paris.* refert *Anno* 1090. & *Guil. Malmester. fol.* 215. Hugo II. apud Cantuariam S. Augustini Abbas pro Monachis leprâ aut alio contagio infectis erexit Hospitale, & pro eorum parentibus ad mendicitatem redactis, ijsque certos proventus assignavit, *Guiliel. Thor. anno* 1149. Henricus III. Rex Londini domũ extruxit conversorum Judæorum, qui poterant illic vivere absque labore, unde plures convertebantur, *Id. Paris anno* 1233. Henricus IX. Lancastriæ Dux collegium Decani & 12. Canonicorum fundavit, quibus hospitale centum pauperum, ministros, ac omnia necesse-

cessaria adjunxit. *Hehric. Clichton lib.* 4. *anno* 1361. Si cuncta hæc pietatis Christianæ monumenta percurrere vellem, arduum nimis ac perpetuum opus foret.

Huic charitatis officio ad ostia Tiberina nobiliter addictus S. Gallicanus ex patricio & consule humillimus Christi servus: is enim spectaculum prope fuit pene innumeris hospitibus, qui seu ex variis Italiæ oris, seu ex oriente vel occidente illuc appellebant Romam adituri, & mirum pietatis in modum peregrinos quoque excipiebat, ægrorumque gerebat curam. Quod in actis SS. Joannis & Pauli describi, ac in Romanis tabulis Ecclesiasticis attingi Iunii 25. narrat *P. Rainaud. in Ascet. p.* 4. *cap.* 5.

Vetustiora autem Italiæ hospitia ad hujusmodi pauperum curam Senense fuisse ac Ravennatense, proditum est à nonnullis: illud, inquam, magnificè à B. Sorore, qui obijt anno Christi 898. fundatum, ubi solitum adire diebus Dominicis ministrantem B. Ambrosium Sansedonium, scribit *Bolland, Martij Act. Sanct.* 3. Hoc ab Exarchis, quorum series initium habuit in Longino anno 563. conditum prope Ecclesiam S. Mariæ in Cosmodin, ad peregrinorum solatium invisere Urbis sacra piè cupientium. Primi meminit *Philipp. Lambardellius in ejus vita*: alterius verò *Hieron. Faber in sacris Ravennatis veterib. memorijs p.* 1. *fol.* 244. Parvus, sed egregius Hospitalitatis locus extra Senensis Urbis portam, quam Romanam appellant, beneficâ celebris familiæ Petroniæ, ex qua Cardinalis verè Eminentissimus prodijt, fundatione, extat hodie; ibi enim Sacellum ac beneficium Ecclesiasticum sub invocatione S. Catharinæ Virginis & Martyris; cujus titularis, præter onera Missarum, excipere tenetur cunctos pau-

peres,

peres, qui serò adventati, clausis portis in urbem intrare nequivere: iisque hospitio præbito ac alimento, mane antequam abeant, nummariam quandam eleemosynam distribuere.

Ad Senensis porrò imitationem ab Italis plura universim producta, idem Lambardellius opinatur, quorum in numero fortasse Venetum à Petro Urceolo Venetorum Duce, templique D. Marci fundatore, ad pauperum alimoniam, ut Ravisius est auctor, extructum: & Mediceum à Clarissimo illo Heroum Parente Cosmo etiam tum privato Hierosolymis, ut peregrini illuc religionis causâ transvecti suis sumptibus, certo assignato agro reciperentur magnificè concinnatum, quemadmodum fusius *Brutus lib. 1. histor. Flor.*

Quam laudis coronam etiam fugientes assequuti sunt Lutetiæ D. Ludovicus, qui inter cętera suę summæ pietatis monumenta Valetudinarium pro æde Virginis, cœcis egentibus numero trecentis, simili formâ & colore indutis, qui eam urbem mirabiliter absque ullo inter penè innumeram rhedarum cursitationem peragrant periculo, & vulgò appellatur *quinzevingr, ædes reliquit, de quo Aemil lib. 7.* & Hamburgensis Archiepiscopus D. Rembertus, qui non modò ad pauperum levamen Xenodochium à D. Ansgario excitatum, nobiliter auxit; verùm in sua diœcesi, & ubicunque pauperes essent, de victu eos vigilanter provideri mandavit, utpote in ijs Christus ad nos veniendus recipi amicâ planè formâ daretur. Sic autem de veteri hospitalitatis studio à nobis digesta, nonnullis non abs re ad sequentes libros servatis, in præsenti sufficient.

ABB.




ABB. JO. BAPT. PACICHELLII COMMENTAR. DE IVRE HOSPITAL.

LIBER II.

De Iuridica mutuaq; apud Recentiores Hospitalitate.

CAPVT I.

De Hospitis nomine multiplex significatio affertur.

VT methodicè ad cognitionem deveniamus, quisnam jure nostro excipiendus sit, præmittenda est ante omnia ipsiusmet nominis interpretatio: in quâ non discriminatim ac oscitanter, ut primâ judicari posset fronte, in multas multi abière sententias, sed juxta loci temporisque vicissitudines ac diversitatem sibi eas accommodârunt.

Communiori significatione Hospitis vox promiscuè sumitur: pro eo scilicet qui suscipit, & qui suscipitur. *Glossa in l. 1. §. Magistri. ff. de exerc. act. verb.*

verb. vel vectoribus. Grat. discept. for. 898. *n.* 9. ubi plura. Quasi *Hostis*, utrique enim ad hostium veniunt, in eo pedem figunt, confirmantque, ut se invicem non decipiant, amicitiæ pactum; quo sensu apud Italos, Gallos, Anglosque dici *hostem*, seu *host* illum, qui hospes est, notat cum pluribus *Matth. Martin. in lexic. philol. & etymol.* & ex nostris *Reinhold. Condit. in specul. fidei politica cap.* 4. *n.* 14. Quam latinam significationem adprobant *Vlpian. Rhetor enarrat. orat. contra Leptinem tom.* 5. *oper. Demosth.* ac *Hieron. Vvolfius annotat. in orat. Demosth. de libert. Rhodior.* cùm Græcè quoque *Xenos* dicatur hospitio exceptus, ac peregrinum excipiens apud *Homer. Odyss.* 15. & *Diod. Sicul.* Quibus patet accuratè dividi hanc vocem posse, ut activum & passivum mutuâ quadam significatione accipiamus. Hinc etiam promiscuè *hospitari* in *l.* 1. §. *ult. ff. de his qui effud.* & *Senec. epist.* 108. ibi: *In quo cognatus aliquis spiritus hospitaretur.* Ex quibus clarè discitur nomina aliquando in sua significatione confusa.

Apud Majores idem ac *Peregrinus*, testatur *Cic. p. offic.* seu ex ijs, qui cum Romanis confœderati non erant, vel qui proprijs legibus uterentur, ut notat *Varro lib.* 4. Aut simpliciter exterus, ad quod facit illud Mysis apud *Terent. in Andria act.* 4. *sc.* 5.

—————— nunc me hospitem
Lites sequi, quam hîc mihi sit facile atque utile
Aliorum exempla commonent ———

Quo sensu passivum tantùm apertè intelligi constat, & deducitur ex Vossij animadversionib. in suo Lexico. Possem autem afferre *D. Anselm. in epist. ad Ephes. cap.* 2. ubi inquit: *Hospites ij sunt, qui sunt in transitu & recessu ad differentiam Advenarum; hi enim*

sunt,

sunt, qui cùm non sint indigenæ, morantur tamen in loco unde non sunt indigenæ.

Horum duplex videtur esse species Jureconsultis; alijs enim tantùm accommodatur domus, alijs comestibilia subministrantur ex *Noal. conf. 9. num. 8.* sive unicâ solummodò significatione datur intelligi eum, qui paulisper hospitat, & differt ab habitatore, seu inquilino ex *Maranta respons. 88. num. 11. & & 12. p. 4.* qui magis dicitur detineri in domo, quàm ipse domum teneat conducto, vel precario habeat. *Gloss. in l. Habet. §. hospites. ff. de precar. Cachetan. decis. Pedemont. 71. num. 19.* Vel est ignarus rerum, quæ aguntur ex *Spiegel.* & *Calvin.*

Rursùs apud Veteres *Hospes* quandoque idem ac *Familiaris. Martial. epig. 5. lib. 4. ad librum suum:*

Vnus erit, mihi crede, satis cui non eris hospes.

Et pro Amante usurpavit *Virg. 4. Aen.* initio:

Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?

Verbum enim Amantium proprijssimum ex antiquorum mente in eo textu tradit *la Cerda.*

Sic *Latin. in Arg.*

Nec malus hic celans dulci crudelia formâ
Consilia, in nostris requiescet sedibus hospes.

Hospitalis verò universaliter *qui se hospitem putat apud Nazianz. jambic. 15.*

In sacris valdè similem prædictis significationem fuisse *Theodoret.* ostendit *in argum. epistol. ad Rom. 16.* confirmans Apostoli sensum hospitem appellantis, qui hospitio aliquem excipiat: & aliàs in *ead. epist. to. 5. cap. 12.* non solos sanctos, inquit, appellari, sed eos etiam, qui aliunde venerint, curatione egentes, quorum jubet curam agi.

Quàm verò honestum hujusmodi fuerit nomen,

vel ex eo solùm patere poterit, quòd ita appellari, imò & haberi in humanis Divinum verbum haudquaquam dedignaretur. *Iob*, enim 19. dicitur mysticè: *Quasi peregrinus fui in oculis eorum. Matth.* 8. literaliter: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*, notatque ad rem *ad Hebræos* 11. *Hugo Cardin.* Egregiè profectò ad nostrum exemplum, cùm absque mansione propria, divitiarumque facultate ipsemet Redemptor, veluti pauperrimus hospes, patriam cœlestem inquirere videretur.

CAPUT II.

Hospitalitatis jure Qui & Quomodo teneantur?

AD Hospitalitatis officia fideles cunctos, juxta cujusque statum ex misericordiæ impulsu, tùm consilio Evangelico, tum ipsiusmet Redemptoris exemplo vim præcepti præseferente quodammodo teneri non est in quæstione, incunctandum enim putamus. Jure tamen artiori ad illa Clericos & Ecclesiasticos quosque, maximè Episcopos obligari, sacri innuunt Canones, dum congruâ deductâ pro ipsorum famulorumque alimentis, & reparatâ Ecclesiâ juxta disposit. *c. de his de Eccles. adif. & c. pastoralis, de his quæ fiunt à Prælat.* mandat ijs reliquos redditus in illam impendi, extrema dummodo necessitas, puta mortis, pauperum ex fame, ut sacra venderentur vasa, minimè urgeret *c. aurum* 12. *q.* 2. *Lopez in l.* 40, *tit.* 5. *p.* 1. & *Frances in tract. de Eccles. cathedral. cap.* 27. *n.* 12. Ecclesia-

clesiarum bona esse hospitalitati devincta *Concil. II. Vernense* statuit *cap. 12.* & Hincmar. in Capitular. *lib. 1. cap. 9. & 10.* & *lib. 4. cap. 4. Quisque presbyter*, inquit, *curam habeat hospitum & peregrinorum. Eos quotidie ad prandium & hospitium convocet juxta possibilitatem.* Hinc ad id Clericos beneficiatos sequitur cogi posse, probatque *Borell. decis. Neapol. to. 1. tit. 11. n. 53.* ijs enim strictè ac religiosissimè decretam vult *Lother. de Re benefic. lib. 1. q. 36. n. 53. ex tex. 42. dist.*

Quò verò ad Episcoporum onus, audiamus *D. Hier. lib. 1. in epist. ad Titum cap. 1. Ante omnia hospitalitas futuro Episcopo denuntiatur. Si enim omnes illud de Evangelio audire desiderant: hospes fui, & suscepistis me, quantò magis Episcopus, cujus domus omnium commune debet esse hospitium? Laicus enim unum aut duos, aut paucos recipiens, implebit hospitalitatis officium. Episcopus, nisi omnes receperit, inhumanus est. Chrysost. to. 4. fol. 55. Ecclesia debet curare pauperes infirmos, hinc opus habet magnis impensis. Episcopatus debet ipsas largiri cum hilaritate.* Eam nesciens virtutem videtur quodammodo irregularis, scribit enim *Greg. Magn.* (qui curam Antistitum præcipuam dicit *lib 9. ep. 28. & 66.*) *Ioanni Episcopo ep. 6. lib. 12. indict. 7.* dum de eligendo Anconitanæ Ecclesiæ Pastore rumor erat: *Pariter etiam requirendum est, si quod de præfato Archidiacono dictum est, quia nunquam amicus domum ejus ingressus est, si ita se veritas habet, & utrum ex necessitate, an ex tenacia talis sit.* Imò S. Gregor. Nazianz. Episcopatum Zozimorum admittere noluit, quòd nimium pauper esset, nec aptus ad hospites suscipiendos. Quapropter ipsius domus instituta dicitur, ut omnes sine personarum acceptione in hospitalitate

recipiantur. Ita *Concil. Matisconense II. cap.* 11. & 13. quod ipsi in ædibus interdicit canes aut accipitres, ne hospites terreantur. *Alvernense*, quod allegatur in Codice quinque librorum *lib.* 2. *cap.* 103. Et *Conc. Aquisgran. lib.* 1. *cap.* 141. hæc habet: *Quisque Canonicorum Abbas erigat hospitale, ubi peregrini ac pauperes recipiantur juxta exempla præcedentium Patrum; omnes Ecclesiæ ei pendant decimas. Quisque item Canonicus de suis proventibus, eleemosynis, & oblationibus; & Episcopus de sua Ecclesiæ bonis tantum addat, quantum sufficerit, &c.* Et *lib.* 2. *cap.* 28. *Simile hospitale habeat etiam quævis Canonica Abbatissa prope portam monasterij, & aliud intra monasterium pro viduis & pauperculis. Concil. VI. Paris. lib.* 1. *cap.* 14. *Quidam Episcopi negligunt hospitalitatem. Corrigantur. Laicus satisfacit suscipiendo duos, aut tres; at verò Episcopi domus debet esse commune hospitium.* Vide *Melden. cap.* 28. *Oxonien. in Anglia cap.* 1. *Trid. sess.* 25. *cap.* 8. & *in decret. cap.* 2. *de supplen. neglig. Prælat.* Plura per *Bellett. disquis. Cleric.* 8. *p.* 1. *tit. de disciplin. Cleric.* §. 15. *num.* 75. In quibus patet hoc officium potissimùm Episcopo summâ curâ exercendum. Quòd si charitatis ordo servandus sit, maximè dum cunctis impendi non potest, priorem locum obtinebunt pauperes, vel infirmi, qui proprijs nequeunt manibus laborare: & viduæ, quibus, in quantum sibi possibile fuerit, victum & vestitum elargiri debet, ne cum reatu ac ignominia vitam transigat *can.* 1. 82. *dis.* Atque ex Chrysost. de Sacerdotio notat *Io. Dartes comment. in decret. Gratiani p.* 1. *dis.* 86. Deinde non solùm in Clericos, ac cæteros peregrinos, sed etiam exercere debet in proceres ac magnates, ut posterioribus sæculis exemplo quoque Regum in Gallia recepto-

ptorum post *Greg. Turon. Marculf. formul. lib.* 1. *cap.* 3. *Radevic. lib.* 2. *de gestis Frideric. cap.* 30. & ex vetustioribus videndis *Cedren. & Sever. Sulpit.* probat. *Dadin. Alteserra in tract. de Ducib. & Comitib. Provincial. Galliæ cap.* 16. quæ semper præsentibus circumstantijs applicanda sunt. Neque illicitum est amicos & consanguineos ab Episcopis & cunctis Clericis hospitio recipere, dummodo id moderatè impleatur absque fastu, & ex charitate, seu potius urbanitate juxta *Concil. Trid. præscript. sess.* 25. *cit. cap.* 8. ad beneficij proportionem junctâ frugalitate, quæ ædificet, sejunctâ prodigalitate, quæ scandalum producat, quemadmodum *Navarr.* docet *in Apolog q.* 1. *monit.* 78. *n.* 2. & sequitur *Molina de Iustit, & Iu, to.* 1. *disp.* 145. *vers. tertium est.*

Nec revocandum est in dubium Monachorum in hoc debitum, cùm clarissima, quæ subjicimus, testimonia sint. *Omnia monasteria habent cellam hospitalem. Eò deducunt omnes peregrinos cum summa charitate. Eis lavant pedes, &c. Otto Frising lib.* 7. *cap.* 35. *Regulata monasteria adeò insudant hospitalitati, ut perdidisse se putent quicquid pauperibus & hospitibus non erogârunt. Chronic. Bertholdi Constant. anno* 1083. *Monasterium Stabulense ita vocatur, quòd sit commune stabulum omnium pauperum & peregrinorum. Magn. Belgij Chron. fol.* 24. *&* 25. ibidemque *fol.* 77. *dum monasterium convertitur in collegium Clericorum, manet tota obligatio hospitalitatis ac eleemosynarum.* Et *fol.* 153. *&* 154. *monasteria debent ædificari in locis periculosis causâ hospitalitatis*, quod confirmat *Simeon Brunelmens. lib.* 1. *cap.* 9. Demum hæc leguntur *in Chron. Constanti. in Episcop* 26. *Geberardus Constantiensis Episcopus fundat monasterium* 12. *Monachorum. Quotidie adhiberi vult*

decimumtertium pauperem loco Christi. Supervacacaneum namque est referre S. Benedicti regulam, quæ mandat, ut Abbas in sua mensa quotidie habeat hospites. Hinc quædam monasteria induxerunt, ut in ejus mensa quotidie habeat tres pauperes. Sic Abbas refectorio adesse cogitur, & ejus mensa non sæculi superbos alit, sed Christi pauperes. Ita *S. Petr. Damia. lib. 2. ep. 14.*

Ad idem multò magis S. R. E. Cardinales, quorum vita veluti ex eminenti candelabro undique affulget, adstringi existimo ex *Concil. Lateran. V.* præscripto *sess. 9.* ibi: *Domus Cardinalis patens hospitium, portusq́; ac refugium, proborum maximè ac doctorum virorum, & pauperum nobilium, honestarumq́; personarum esse debet.* Et Reges ac Principes quoque, ut ex liberalitate in pauperes exercita, meritò *Patris pauperum* titulum adipiscantur, in quo vide *Novell. de bonis Decurion. Theodos. & Valentinian.* Sitque ijs exemplo Antonij Constabilis vita, de qua hæc affero ex *Col. Calcagn. in ejus funeb. orat. Hinc fores diu noctuq́; bipatentes ad recipiendos peregrè advenientes hospites semper paratæ: quisquis modo aliquo, vel familiæ titulo, vel virtutis elogio, vel artis commendatione, vel calamitosâ obrutus egestate, aut aliàs fortunæ vexatus injuriâ, ad Antonium confugerat. Apud eum & dignam nobilitate sedem, & virtuti atque arti suæ perfugium, calamitati autem remedium atque asylum inveniebat. Hinc Oratores magni nominis, hinc Philosophi naturæ interpretes, hinc Poetæ frequentes apud Antonium visebantur, & c.* Sunt tamen aliqui supremi Principes, qui munus hoc obeunt egregiè, adhibito aliquo Receptore, qui plures calleat linguas, & statutâ pro hospitibus præstantiori palatij parte, quam vulgò appellant

Fore-

Foresteria, ubi plurimi clari viri excepti nonnullam sui memoriam relinquunt. Et in Urbe Prælatus quidam à Clemente IX. ad exteros excipiendos, & res curiosiores invisendas ducendos, nuper electus fuit.

Cæteri hospitium ita conferre debent, ut ad id aliquo casu compelli valeant, puta alimentorum alicui præstandorum; cùm enim hospitium inter alimenta locum habeat ex *Tholos. lib. 19. syntag. jur. p. 2. cap. 8. n. 1. Surdo, Bossio, aliisq;*, sequitur, ut quibus alimentum debetur, etiam hospitium debeatur. Ex quo jure creditor si nolit recipi, ostium frangere potest, & propriâ authoritate introire. *Panormit. cap. 1. à num. 6. videndus de immun. Eccles. Cœpolla de servit. cap. 36. num. 30.* & latius *Grate de privata author. class. 2. cap. 5. n. 1.* Deinde ex præfato, quo adstringimur, charitatis objecto, ad peregrinorum tanquam miserabilium personarum hospitationem excommunicationis censurâ quisque cogi potest, ut *Velasc.* edisserit videndus in *de privil. miserab. perso. q. 15. p. 2.* cum extensione ad otiosos ac negligentes absque censura, ex *Cassian. institut. lib. 10. p. 15.* Multò magis Monachis hoc impartiendum beneficium probat hoc modo *Isidor. Hispalens. in Regul. Monach. cap. 22. Licet omnibus hospitalitatis bonum cum gratia oporteat referri, uberior tamen monachis referenda est honorificentia hospitalitatis. Præbeantur eis habitacula, laventur eorum pedes, ut præceptum Dominicum impleatur: congruis etiam sumptibus ejusdem humanitatis gratia præbeatur*, quod à laicis nonnullis egregiè impletur. Et regula communis erit, ut juxta faculta es, vel charitatis modum cuncti admittantur, & si fieri potest, pauperes etiam quærantur.

tur. Sic consulunt *Io. de Medina*, & *Barthol. Humada*, quos sequitur *Cenedo in collect. ad tex. in cap. quiescamus. 42. dis.* abundè *Lorin. in act. Apost. cap. 21. vers.* 10. Cujus negligentiæ pœna à *D Hieron.* innuitur *in Iob. cap. 22.* ibi: *Et esurienti subtraxisti panem*, subdit enim S. Doctor: *Grave est non dedisse, gravius subtraxisse. Grande ergo peccatum hospitalitatem in necessitate positis non præbere.*

Nec quærendum nimium scrupulosè quinam hospites sint. Ad quod egregiè *Chrysost.* commendans hospitalitatem Rebeccæ *in orat. quales sint ducendæ uxores to. 6. oper. Vides quomodo nec modestia hospitalitas obfuit, nec hospitalitati modestia, &c.* Et deinde: *Non sciscitatur quis, & undè? qua de causa venis? sed pro præsenti copia tractans hospitem, non est curiosa de cætero. Etenim gemmarij & nummularij hoc unum curant, ut lucrum capiant ex ijs, cum quibus negotiantur, parum soliciti quales tandem illi sint: sic hæc solùm quærit, ut hospitalitatis fructum capiat, atque solidam ejus mercedem recipiat. Benè sciebat quòd hospes maximè verecundus sit, ideoque maximâ comitate opus habeat, Et non curioso ministerio; quòd si de rebus ejus percontemur immodicè, tergiversari eum & gravatim accedere, &c.* Verus enim beneficus, teste *Senecâ*, prævenit petentem. *Cic.* quoque scripsit potius emere, quàm rogare voluisse. Et *can. 2. dis. 42.* in eos taliter inquirere, dicitur absurda curiositas, & diabolica, & peremptoria, cùm quicunque recipitur, periculum, cùm pauper sit, afferre non consuescat. Limitantur tantùm prædicta in Sacerdotum adventu; nonnulli enim extranei Clericos se fatentur, vel Sacerdotes nominant: non enim tum Veteribus, præcipuè apud *Valer. Max.* tum Recentioribus ex pervulgata experientia no-

vum non est plurimos nomen ac personam simulâsse, vel mentijsse; literas profectò commendatitias, ut ajunt, in fronte minimè circumferentes : quo casu scrutandum esse, an veritati consonum sit, cùm in his absque periculo indiscussa communicatio non sit; monuitque *Io. Dartes. in prad. Gratiani comment. decret. p.* 1. *dis.* 42. Præfati autem nunquam deserendi Ethnicorum exemplo apud *Cic. de Verre* ; *Hæc audivit* (de pulchra nempe Philodami filia) *sic exarsit, &c. ut statim ad Philodamum migrare se velle diceret. Hospes janitor, qui nihil suspicaretur, veritus ne quid in re offenderit, hominem summa vi retinere cœpit.*

His positis, cùm ex amicitiæ affectu profluat Hospitalitas, ejusdem leges servandas expetet. Primo verò loco boni viri admittendi sunt 4. *Reg.* 4. *Guilielm. Perald. in summa virtut. ac vitior. tom.* 1. *tit. de Iustit. c.* 4. Secundo, peregrini potius, quàm indigenæ, si magis egeant, ex *Iob.* 31. *Esai.* 38. & *Io.* 4. aliàs sui & concives videntur præferendi juxta Philosophi monitum 1. *Polit.* 11. ibi : *Peregrinos etiam in convivia & familiarem usum magis recipere, quàm cives, tyrannorum est, quasi illos quidem habeant hostes, hos verò non adversantes.* Et Romanorum exemplum, quibus cum suis connubium erat, ex *Vlpian. lib. reg. tit.* 5. *C. Theod. lib.* 3. *tit.* 14. & *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. idque honestior recreatio. Tertio, cuncti qui digni præsumuntur, ut *D. Hilar.* explicat *comment. in Matth. can.* 10. in ea verba : *In quamcunque civitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus est* : *ibi enim levia* , inquit , *fortè Dominus dedisse Apostolis præcepta æstimabitur, quòd se usque ad monita introeundi, habitandi, morandi, exeundiq; submiserint. Hæc quidem intellecta simpliciter Sanctorum modestiæ congruunt, ut cum dignis*

sit

tur. Sic consulunt *Io. de Medina*, & *Barthol. Humada*, quos sequitur *Cenedo in collect, ad tex. in cap. quiescamus.* 42. *dis.* abundè *Lorin. in act. Apost. cap.* 21. *vers.* 10. Cujus negligentiæ pœna à *D Hieron.* innuitur *in Iob, cap.* 22. ibi: *Et esurienti subtraxisti panem,* subdit enim S. Doctor: *Grave est non dedisse, gravius subtraxisse. Grande ergo peccatum hospitalitatem in necessitate positis non præbere.*

Nec quærendum nimium scrupulosè quinam hospites sint. Ad quod egregiè *Chrysost.* commendans hospitalitatem Rebeccæ *in orat. quales sint ducendæ uxores to.* 6. *oper. Vides quomodo nec modestia hospitalitas obfuit, nec hospitalitati modestia, &c.* Et deinde: *Non sciscitatur quis, & undè? qua de causa venis? sed pro præsenti copia tractans hospitem, non est curiosa de cætero. Etenim gemmarij & nummularij hoc unum curant, ut lucrum capiant ex ijs, cum quibus negotiantur, parum soliciti quales tandem illi sint: sic hæc solùm quærit, ut hospitalitatis fructum capiat, atque solidam ejus mercedem recipiat. Benè sciebat quòd hospes maximè verecundus sit, ideoque maximâ comitate opus habeat. Et non curioso ministerio; quòd si de rebus ejus percontemur immodicè, tergiversari eum & gravatim accedere, &c.* Verus enim beneficus, teste *Senecâ*, prævenit petentem. *Cic.* quoque scripsit potius emere, quàm rogare voluisse. Et *can.* 2. *dis.* 42. in eos taliter inquirere, dicitur absurda curiositas, & diabolica, & peremptoria, cùm quicunque recipitur, periculum, cùm pauper sit, afferre non consuescat. Limitantur tantùm prædicta in Sacerdotum adventu; nonnulli enim extranei Clericos se fatentur, vel Sacerdotes nominant: non enim tum Veteribus, præcipuè apud *Valer. Max.* tum Recentioribus ex pervulgata experientia no-

vum

vum non est plurimos nomen ac personam simulâsse, vel mentijsse; literas profectò commendatitias, ut ajunt, in fronte minimè circumferentes: quo casu scrutandum esse, an veritati consonum sit, cùm in his absque periculo indiscussa communicatio non fit; monuitque *Io. Dartes. in præd. Gratiani comment. decret. p.* 1. *dis.* 42. Præfati autem nunquam deserendi Ethnicorum exemplo apud *Cic. de Verre; Hac audivit* (de pulchra nempe Philodami filia) *sic exarsit, &c. ut statim ad Philodamum migrare se velle diceret. Hospes janitor, qui nihil suspicaretur, veritus ne quid in re offenderit, hominem summa vi retinere cœpit.*

His positis, cùm ex amicitiæ affectu profluat Hospitalitas, ejusdem leges servandas expetet. Primo verò loco boni viri admittendi sunt 4. *Reg.* 4. *Guilielm. Perald. in summa virtut. ac vitior. tom.* 1. *tit. de Iustit. c.* 4. Secundo, peregrini potius, quàm indigenæ, si magis egeant, ex *Iob.* 31. *Esai.* 38. & *Io.* 4. aliàs sui & concives videntur præferendi juxta Philosophi monitum 1. *Polit.* 11. ibi: *Peregrinos etiam in convivia & familiarem usum magis recipere, quàm cives, tyrannorum est, quasi illos quidem habeant hostes, hos verò non adversantes.* Et Romanorum exemplum, quibus cum suis connubium erat, ex *Vlpian. lib. reg. tit.* 5. *C. Theod. lib.* 3. *tit.* 14. & *Macrob.* 1. *Saturn.* 6. ideoque honestior recreatio. Tertio, cuncti qui digni præsumuntur, ut *D. Hilar.* explicat *comment. in Matth. can.* 10. in ea verba: *In quamcunque civitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus est: ibi enim levia*, inquit, *fortè Dominus dedisse Apostolis præcepta æstimabitur, quòd se usque ad monita introeundi, habitandi, morandi, exeundiq; submiserint. Hac quidem intellecta simpliciter Sanctorum modestiæ congruunt, ut cum dignis*

fit

sit hospitalitas, neve per iniuriam aut ignorantiam cohabitatione probrosa familia polluantur, sed introeuntes civitatem de digno iubet interrogare, & cum eo habitare usque ad profectionem, &c. Quibus ad utrumque profectò hospitem, activum scilicet respicit, ac passivum.

Omne tempus, exceptis mæstitiæ diebus opportunum ad id censetur. Euripides *in excerpt. per Hug. Grot.*

Molestus hospes quisquis in luctu advenit
Res indecora in flentis epulari domo.
———— Non decet quippe hospitem
Mœrere, gemitumque inter audiri dapes.

Qui tamen subdit

———— Interea hospites
A se rejicere nostra non didicit domus.

Nec solum absque murmure juxta sacra monita 1. *Petri* 4.9. *Lucæ* 6.28.& 35.& *ad Philip.* 2.14. sed clara fronte etiam mediis famulis, ut idem Euripides ibid.

-- Non debet esse famulus adventantibus
Tristis, sed animo excipere proclivi hospites.

Hæc nimio sumptu quod in luxuriam degeneret: licet autem hospitium hospiti passivo aptum esse deceat, miserabile enim in magno viro spernitur à *Iuvenal. sat.* 3. Illudque servandum discrimen, quod *Plin.* indigitat *in præfat. ad Vespas.* ibi: *multum apparatus interest inter invitatum hospitem & oblatum.* Non tamen scrupulosè pro hospite adventante ornanda domus, neglectis filiorum moribus, ita ut, quemadmodum olim *Seneca ad Lucil. qui domum intraverit, nos potius miretur, quàm supellectilem nostram.* Suadet verò munditiem *Iuvenal. sat.* 14. ibi:

Hospite venturo cessabit nemo tuorum;

Ve-

Vere pavimentum: nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela.

Commendaretur autem si eo ipso quod adventaverit hospes, uti lasso & facile sitienti sibi vinum gustandum præberetur, quo in calorem animi diffuso vim inesse putabant veteres ad conciliandam alliciandamque amicitiam, ideoque ut *Athen.* testatur *initio lib. 5. Deipnos. non antea qui essent rogabant, quam bibissent, sed gustato jam vino hospitii jus & fidem honorantes potius, quam privatim hospitum singulos.* Postmodum tum in cubiculo, tum in mensa, ad veterum normam humanitatis ac benevolentiæ officia cuncta præstarentur: quod quam necessarium sit, vel hinc patere potest, quod deficiente sale mensæ hospitum Angelorum, culpâ uxoris Loth, illa in salis statuam versa fuerit in pœnam negligentiæ per eam exercitæ, quod erudite tradit *Gen. 19. Gutlielm. Pepin. Ordin. Prædicator.* ex Rabbinorum versione. Quoad mercedem vero consilium amplector *S. Theodulph. in capitular. cap. 25.* ibi: *Admonendi sunt fideles omnes, ut nulli hospitium denegent, & nullam mercedem exigant. Accipere tamen possint sponte oblatum. Ille hospitalitatis modus, quo hospes in domum non recipitur, nisi prius assecurata hospitii mercede, est inhumanus & crudelis.*

Verùm quia nimium hisce officiis quidam alliciuntur, sit vitio inhonesti seu ingrati animi ultrà triduum mora in domo hospitali. Potuisset arridere Euripidis sententia loco paulo ante adducto, ubi inquit

Subeunt amicos hospitum fastidia
Blandum tuetur una quos tantum dies.

Sed ut vicissim se ipsis frui hospites aliquantisper pos-

possint, subscribo Pleusidi apud *Plaut. in mil. glor. act. 3. sc. 1.* ibi:

---Hospes nullus tam in amici hospitium diverti potest,

Quin ubi triduum continuum fecerit, jam odiosus fiet.

Ex quo depromptum crederem illud notissimum apud Batavos modernos *Na drie dagen stincken de gasten.* cujus ratio videtur eruta ex illo Anglo-saxonum placito, quod de hospitibus, pro quibus paterfamilias respondere tenebatur, sic se habebat, ut primâ nocte *incognitus*, secundâ *hospes*, tertiâ *domesticus* censeretur, refertque *Henric. Spelmann. in glossar. verb. Third. night.* Apud quos ultra triduum pisces & hospites generant fastidium juxta illud:

Post tres sæpè dies piscis vilescit & hospes.

Principibus crederem produci laudabiliter posse tempus, extendique magnificentiam, quemadmodum Lyciæ Rex erga Bellerophontem *Iliad. 14.* qui

Novem diebus apud illum hospitatus est, novem ille boves mactavit.

Tamen quadraret eo casu Plauti sensus, ubi suprà:

Verùm ubi dies decem continuos immorabitur,

Tametsi Dominus non invitus patitur, servi murmurant.

is enim servorum mores optimè noscens, clare repræsentavit.

Nonnulli tamen, etsi triduò tantùm apud hospitem amicum excipi velint, statutis seu consuetis temporibus has repetunt, non absque molestia maxima, vices: quo casu vertere videntur jus gratuitum & voluntarium in necessarium. Excitari hoc loci potest quæstio, an jus istud hospitandi vel cœnan-

nandi in amici ædibus, sive in monasterio aliquo, vel castello per præscriptionem acquiri valeat, quod idem est ac repetere Doctorum altercationem: Utrum in eo actu servitus realis vel personalis imponi queat? Responsio est negativa, & deducitur ex *tex. in l. Vt pomum* 8. *ff. de servit.* ubi inquit Ulpianus: *Vt pomum decerpere liceat, ut spatiari, ut cœnare in alieno possimus, servitutem imponi non posse.* Et ratio est, quia id magis ad voluptatem hominis, quàm ad prædij utilitatem est comparatum, ut *arg. l. fin. ff. de contrah. empt.* ratiocinantur *Manz. in tract. de servitut. person. n.* 18. & *Veizenegger n.* 24. *infi.* Ita pariformiter nec qui longissimo tempore aliquem recepit, tenebitur ei in futurum vel per seipsum, vel per hæredes hospitalitatem præstare, cùm sit quid facultativum, & regula adsit, quòd quæ in mera & gratuita consistunt facultate, nunquam per præscriptionem acquirantur, *arg. l. via pub.* 2. *ff. de via pub. l. qui jure familiaritatis. ff. de acqui. possess. Innoc. in cap. cùm Ecclesia de caus. possess. & propriet. Ias. in l. Quominus. num.* 31. *ff. de flumin.* & *Max. Faust. in consil. pro Aerario class.* 4. *cons.* 308. *ord.* 459. *fol.* 165. §. 2. Et in terminis, quòd neque ex mille actibus jus hospitandi acquiratur, quando sæpissimè aliquis apud alium hospitatus est per *l. Et habet.* 15. *ubi ratio.* & §. 1. *de precario. l. Operas* 31. *ff. de oper. libert. quam vide can. possessiones* 71. *caus.* 16. *q.* 1. *l. Si certis annis* 28. *C. de pact. t radunt DD. d. can. possessiones. Covarruv. cap. possessor. p.* 2. §. 4. *num.* 6. *de Reg. in* 6. *Menoch. de arb. lib.* 2. *cas.* 160. *n.* 19. *Azor. instit. moral. cap.* 18. *vers. quinto fero. Besold.* 3. *cons.* 118. *num.* 82. *& seqq.* ubi ad contraria respondet. *Mynsing. respons. dec.* 13. *resp.* 2. *num.* 109, *Valenzuel.*

consil. tom. 2. *cap.* 149. *num.* 32. & cum pluribus *Posth. in tract. de manut. observ.* 53. *n.* 3. ubi quòd hospes etiam diuturnus seu quocunque modo ab amico receptus, nullo temporis cursu, quasi possessionem quæri hospitij & domûs. Aliud tamen esset, si non ex familiaritate vel amicitia, sed ex servitute jus istud acquisitum foret; quia tunc deberet omninò præstari, ut probat *Cravett. de antiq. temp. ult. p. pr. nu.* 42. & *Bart. l. Cùm de in rem verso nu.* 9. *de usur.* exemplificat in rustico, qui capones nobili adferre consuevit, quem sequitur *Menoch.* ubi suprà *lib.* 2. *cent.* 2. *cas.* 160. *nu.* 19. & 20. quem videre potes. Alibi verò id contractu, vel consuetudine acquisitum esse testatur *Gasp. Manzius in centur. quæst. Palatin. q.* 28. *n.* 27. & *seqq.*

Quoad hospitum numerum, prout in cæteris virtutum actibus; censeo mediocritatem servandam longè ab excessu ac defectu. Hesiodi namque consilium fuit, ut neque πολύξενος, id est; dici multos habere hospites, neque ἄξενος, scilicet penitus ab illis vacuus, more agrestis viri ac inhumani. Mediocritatem hanc Eximius morum præceptor proposuit *lib.* 9. dum: *Numquid igitur*, ait, *opera danda est ut quamplurimos nobis amicos comparemus: sive, quemadmodum in hospitalitate illud videtur eleganter dictum esse: neque multorum hospitum, neque nullorum vocêre. Et in amicitia etiam congruet: neque vacuum ab amicis esse; neque abundare amicis sine ullo modo.*

Quæres item, an casu aliquo hospes expelli valeat. Et absque justa causa id fieri nequit, juxta illud commune effatum:

Turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes.

apud ex nostris *Georg. Mundium cons.* 17. *num.* 176.

vol.

vol. 1.qui ab *Ovid. in de Trist.* illud desumpsit: dummodo tamen ille de gravi aliquo crimine suspectus non sit, puta in patriam, vel quid simile malè egerit, ut olim Volsci ob æquam suspicionem sub Tullo Hostilio Urbe pulsi, narrante *Halicarnass. antiq. Rom. lib.* 8. Et regulam firmat, scilicet id sine justa causa illicitum esse, *Iacob Cobell. comment. in bullam boni Regim. cap.* 33. §. 13. *gloss.* 1. *n.* 84. Vel mitti potest si superveniat ibi aliquis magnates, puta Legatus, vel Principis Orator per ea quæ tradunt *Angel. in l.* 1. *ff. naut. caup. Avendano de exeq. mand. Regum Hispaniæ p.* 2. *cap.* 8. *n.* 2. *Lauden. tract. de Legat. conclus.* 2. idemque *Cobell. ubi mox. n.* 85. Quemadmodum enim opprobrio notaretur repentina post introitum mutatio, ut acutè advertit *Hugo Card. in cap.* 9. *Lucæ* ibi: *& in quamcunque domum intraveritis, ibi manete:* ita levitati maximæ licentia hujusmodi adscriberetur.

CAPUT III.

Mutua quænam debeant esse Hospitum officia?

CUm bonum ex insita naturæ propensione diffusivum sit sui, amorisque officia ut descendant producta videantur, prius in hospite activo dabitur materia investigandi, quid se erga alterum deceat, quàm respectus hujus ad illum discutiendi. Præter ea igitur, quæ superiori attulimus libro, ad casus noviter occurrentes aptanda, sit conclusio ex æquissimis juribus deprompta. Excipiens hospitem, domesticos ei honores, & præstantiorem lo-

cum unà cum cæteris humanioribus officijs tribuat. Æquitas hujus patet primùm ex Philonis Judæi sensu in *de Mosis vita lib.* 1. ubi inter plura hæc habet : *Hospitibus (quantum ego judico) jura debentur eadem qua supplicibus. Erant igitur supplices Inquilini, socij honore, civibus jam proximi, vicini minimum differentes ab Indigenis.* Rursus præstantiorem locum sibi deberi, ultra consuetudinem & naturale quoddam præceptum D. *Bernard.* ostendit, dum *serm.* 6. *Quæso te*, inquit, *quis rusticus*, *si fortè nobilis & prapotens quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domûs sua, aut sub gradibus suis, aut in ipsis cineribus accubabit cedens hospiti suo locum (sicut dignum est) potiorem? Et tu ergo fac similiter, &c.* Humanitatis officia ad exemplum Dido Trojanis hospitibus promittit Ilionei orationi sic respondens 1. *Aen. v.* 570.

Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arva,
Sive Erycis fines, Regemque optatis Acestem:
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Vrbem, quam statuo, vestra est: subducite naves.

Abjicienda semper quoque ampullosa suarum rerum amplificatio; parvi enim pendenda propria, quasi Hospes magni fiat, dum excipitur, hospitium verò minimum reputetur. Sic olim Hercules ab Evandro apud *Iuvenal. Sat.* 11.

Nam cùm sis conviva mihi promissus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hospes, & ipse tamen contingens sanguine cœlum:
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.

Boni enim hospitis erga exceptum suum typus est in Plectomene apud *Plaut. in mil. glor. act.* 3. *Sc.* 1. ibi:

——— *benè ut hospes, te ex virtute tua*
Mea domi accipiam benignè, lepidè & lepidis victibus;
id est, ut passim dicitur, *absque fuco & fallacia*. Frugalis & philosophicis, ut ajunt, dapibus hospitalis erit recreatio ex *D. Basil. in reg. fus. disp. resp. ad quæst.* 20. latè *Homob. de Bonis, de statib. human. vita p. 2. cap. 27. de peregr. statu.* Cujus rei causâ solvi posse jejunium, ut melius impleantur charitatis officia, maximè si egregiæ qualitatis hospes sit, cumeoque comedendum, exemplo S. Spiridionis comedentis carnes in quadragesima, probat *P. Pasqualig. in tract. de Iejunio dec.* 350. Et prius Palæstinæ monachos propter hospites jejunium fregisse scribit *Evagrius lib.* 1. *cap.* 21. Semper verò cavendum est, ne hospitalitas in hostilitatem quodammodo degeneret, quod accidere ait *Blesensis epist.* 102. *cùm divites quidam splendidè excipiuntur, & bibendi bella cum his hospitibus continuantur, cæteri autem excluduntur.* Acceptio namque personarum vituperatur, & hospitalis honorificentia in familiam quoque hospitati, juxta personarum qualitatem, transire debet. Verùm multò magis hic objurgatur certamen illud potandi, quod communiter in Germania iniri solet cum maximo peculiaris temperantiæ detrimento usque ad ebrietatem, & tantùm ex depravata quadam consuetudine poculum adhibendi ad alterius extinguendam sitim, ut lepidè iter faciens per eas amplissimas provincias Polydorus Vergilius observavit. Obliti quidem videntur Germani moderni Caroli Magni fœlicissimi Cæsaris, qui cibi potûsque fuit parcissimus: in cœna ter ferè, neque temerè interdiu bibit. Lege quoque, ne quis alium ad bibendum provocaret, interdixit, ebriumque in exercitu aquam impostèrum pota-

potare compulit, ex *Crantz. lib. 2. Sax. cap. 8. Aventini lib. 4. Annal. Boior.* At figant sibi mente Clerici canonicum præceptum *in cap. 14. de vi. & honest. cler.* Sin autem juxta præfata hospites activi se gerent, facili negotio de passivis hospitibus erunt benemerentes, quemadmodum Veteres ij apud *Halicarn. antiq. Rom. lib. 5.* quorum *multi beneficijs hujusmodi devincti, abjecto patriæ desiderio, apud benefactores suos commanere malebant.*

Hospiti passivo nihil aliud fermè videtur melius convenire, quàm gratitudo, eaque quo major, eò laudabilior. Commendatur hospitij locus apud *Martial. lib. 4. epigr. 64. de hortis* his verbis:

Hoc rus, seu potius domus vocanda est,
Commendat Dominus, tuam putabis.
Tam non invida tamq; liberalis
Tam comi patet hospitalitate.

Desiderium enutriendum retributionis juxta monitũ sapientis illius, qui quadragesimusoctavus Regi Ptolemæo apud *Aristæam de 72. interpr.* sic respondit: *Hospitalitas remuneratio est, si omnibus æquus existens, quæ acceperis, majori etiam fœnore accumulata reddideris, ita ut in hospitalitate excellere videaris.* Nec unquam malum pro malo reddendum, casu quo clausæ fuerint inventæ hospitales ædes, ita egregiè id monente *B. Esaiâ in opusc. inscript. quid in itinere observand.* ubi *peregrè*, inquit, *proficiscens si apud fratrem divertere volueris, & ille hospitio te suscipere recusaverit, & is postea vel in via tibi obvius fuerit, vel ad te diverterit imprudens, eum benignius humaniusq; tractato.* Et paulò post ad præceptorum Evangelij formam similia sic præscribit: *Si fratres estis, & peregrè proficiscentes ad fratrem pauperem divertitis, ne affligatis eum in rebus necessarijs,*

sed

sed eas vobis emite, ut ei quoque satis sint, hospitioque ac tecto contenti estote quod inveniftis. Porrò ingratus hospes, ut egregiè ex nostris *Francisc. Vivius decis.* 162. *sub n.* 15. *l.* 1. censuit, est *sicut mus in pera, ignis in sinu, & serpens in gremio*, qui à cunctis est sejungendus eo modo, quo Philippus Macedoniæ Rex erga ingratos milites egit, quorum fronti inuri jussit hæc verba: *Ingratus hospes*, teste *Senecâ* 4. *de benefic.* Atroxque semper præ cæteris injuria reputatur, quæ ab hospite hospiti infertur ex *Bocer. class.* 3. *disput.* 4. *thes.* 38. *lit. H.*

Obsolevit jam tyrannis illa, quæ hospitis necem admiserat occasione sacrificij apud Tauros, de qua meminit modernus *Nazianz. Scholiastes orat.* 3. *advers. Iulian.* & consuetudo non adventitiæ amicabilis cœnæ, sed hostilis apud *Plaut. in Amphit. act.* 1. *sc.* 1. ibi: *Me hospitio pugna accepturus est.* Semper ergo immune debet esse jus hospitij à quacunque vi & fraude: & inde est, quòd præciso quocumque belli jure, hospitali domui tanquam sacra reverentia præstari debet, exemplo Hospitalis Cremonensis, in quod impietates exercitæ causam præstitisse ipsiusmet civitatis depopulationi probabili fundamento existimat *Vilossa in tract. de fugitivis cap.* 19. §. 3. *n.* 101. afferens ad rem Cassiodori locum *lib.* 4. *ep.* 30. ibi: *Citò vetustatis decoctione resolvitur, quod hominum præsentiâ non tuetur.*

Hospitalia itaque jura nunquam violanda post *Cic.* sententiam *orat.* 42. *pro Dejot.* & *lib.* 5. *in Verr.* & ea, quæ affert Livius sæpissimè & *Sueton. in Tiber.* 62. probat. *Reinhold. condit. in specul. fidei politic. cap.* 4. *n.* 15. *& plurib. seqq.* & *P. Causin in poly-hist. symbol. lib.* 8, *cap.* 16. qua de causa raptus Sabinarum com-

muniter improbatur ; & è contra prudentissimè socij Æneæ linquendam sentiunt Thraciam, atque pelago incumbendum 3. *Aen.* 60. ibi :

Omnibus idem animus, sceleratâ excedere terrâ,
Linquere pollutum hospitium, & dare classibus Austros.

Repetitur quoque præstantissimum Loth exemplum *Gen.* 19. qui maluit proprias filias, quàm hospites violari, ut pro hospitum securitate commune præstaret documentum, de quo vide *auth. omnes peregrini. C. commu. de success. & constit. Friderici* I I. *de statut,* & *consuet. hospitant. in* §. 10. Hinc maximum crimen erit uxoris hospitis aggressus teste *Luciano in Luc. sive As.* quod extenditur ad filias, neptes, & similes ex eodem jure. Aurelianus Cæsar, ut scribit *Vopiscus*, militem suum, qui uxorem hospitis adulteráslet, duabus arboribus curvatis alligatum in duas partes discerpsit, fœdusque matrimonij inter virum & uxorem ex adulterio illo, uti olim consueverant, fuit dissolutum. Similiter hospitis ancillæ stuprum pœnâ sævissimâ vindicatum à Macrino *Capitol.* refert, dum Cæsar geminos boves miræ magnitudinis aperiri jussit, atque his milites singulos inseri capitibus boum exsectis, quo facilius unà colloqui possent. Peccatum in hospitem cunctis gravissimum probat etiam ex Græcis *Liban. declam.* 1. in qua vituperat pro hospitalitate malevolentiam, pro hospitio rapinam reponere. Et *declam.* 2. ubi, *quis enim ignorat*, inquit, *Iovem hospitalem esse, eamq; principem esse Dei appellationum ? ut quovis donario gratius illi sit, hospitij munera rectè se habere ; contrà omni sacrilegio gravius, si quid vel injucundum hospiti contingat ab eo, vel qui accepit ; vel ei, qui admisit ab eo, qui cum benevolentia acceptus est.* Cujus hospitalis Numinis

nis leges iniquissimè temeratas refert atque improbat *Amian. Marcellin. lib.* 30. *post init.* exemplo Paræ Armeniorum Regis à Sapore interjecti ijs verbis: *Hocq́, figmento nefariè deceptâ credulitate inter epulas, quæ reverendæ sunt vel in Euxino ponto, hospitali numine contuente, peregrinus cruor in ambitiosa toralia sparsus, & spumans satietati superfuit convivarum horrore maximo dispersorum.* Idemq́ue de Maximino *lib.* 29. *in fi. Denique Gabinium Regem, nequid novaretur, modestè poscentem, ut adsensurus humanitate simulatâ cum alijs ad convivium conrogavit: quem digredientem post epulas hospitales, officij sanctitate nefariè violatâ, trucidari securum effecit.* Vides quo verborum pondere Auctor impium facinus describit: & caveto ab ignoto hospite, quemadmodum videtur suadere *Plutarch. in de Vitioso pudore*, dum ait: *Demetrius Rex violavit jus hospitale: ita Dio non ignoravit sibi abs Calippo strui insidias, sed ab amico & hospite sibi caveri pudori ducens.*

Nullum demum damnum hospitis domui vel personæ inferendum, quo casu pax domestica violata intelligitur ex *legib. Regni Sueciæ à Loccenio editis cap.* 1. *tit.* 8. Idemq́ue si quis illi nocuerit, qui alterius vim vitans, in ejus domum confugerit *ibid. cap.* 2. Multò minus licitum erit hospiti murum urbis conscendere, si sit explorator, qui in Reipublicæ fraudem circumspiciat, non verò si salutis causâ id agat, ut *Vlpian. Rhetor* monuit *enarrat. orat. de falsa legat.*

Et mutuus affectus, vel muneribus, vel simili aliquo humanitatis ac beneficentiæ actu ad perpetuam hospitalitatis memoriam, gratiq́ue animi virtutem consultius erit semper conciliandus.

CA-

CAPUT IV.

Hoſpitum privilegia multiplicia.

QUanta, & quàm utilia ſint hoſpitum privilegia, omnes ii, qui vel primis attigerint labris Juriſprudentiæ fontes, absque ullo erroris metu agnoſcunt ac teſtantur. Sic illis jura favent, ut admirando ſanè ſpectaculo ſibi conſulant peragrantes, paſcantque oculos ſimul & animos. Non relatione ſupervacaneâ hîc Lectorem defatigabimus; ex honoris namque lumine quo præſtantiores ſollicitè excitantur, ad utilitatem gradum faciemus. Alicubi quoad eam, quæ reverentiam conciliat, dignitatem, civibus hoſpites æquiparantur, idque juxta leges municipales, ſeu peculiares conſuetudines, quas hîc afferre non præſtat, exemplo prorſus hoſpitum Græcorum, quos jam pridem eundem honorem cum civibus conſecutos in magiſtratu refert *Vlpian. Rhetor enarrat. orat. adverſ. Leptinem.* Item juſtus eſt iis titulus adjutorium commune, civiumque ſingularium beneficia exigendi per ea quæ tradit *Ridolphin. in praxi jurid. p. 3. cap. 4. n. 33. & 34.* & DD. poſt ſatis accuratam rei trutinam concludunt, conceſſo hoſpitio, intelligi conceſſa omnia ejus jura & utilitates; quemadmodum conceſſo caſtro cenſetur Princeps curiam, jurisdictionem, & omnia caſtri jura conceſſiſſe, ut eſt caſus in *l. ſi quando ubi Bart. & Scribent. C. de bon. vac. lib. X.* ubi clariſſimè, probatque Italiæ Papinianus *Card. Alciat. reſponſ. lib. 5. conſ. 22. n. 12.* Competit quoque ipſis prælatio

caſu

casu venditionis, de quo est communis opinio, & fatentur *Francisc. Carasco del Saz. oper. p. 3. cap. 11. de creditorib. n. 190. post Cavalcan. dec. 5. p. 2. n 9. 18. & 19 & Decian. conf. 108. lib. 2. n. 23. & novissimè Acosta de privil. creditor. prælud. 1. n. 6.*

Si querela judicialis contingat, prodest hospiti vulgatum illud Jurisconsultorum principium, ex hospitio in jus trahere non licet, quod illustrat *Conrad. Heresbach in epitom. Christian. Iuruprud. edic. X. præcepti pag.* 302. est enim tanquam domus propria, quæ cuique tutissimum refugium dicitur *tex. in l. 18. de in jus voc. Hilliger ad Donell. enucleat lib. 23. cap. 9. not. lit. u. p. 2. & Franc. Marc. decis. Delphin. 590. n. 1. p. 2.* M. enim Tull. pro domo *nihil*, inquit, *eâ sanctiùs, nihil omni genere munitiùs*, idemque dici valet de hospitio. Et capi neminem posse in statione gratis habita, apertè decisum referunt *Surd. dec. 174. n. 12. & 13. & Burat. dec. 253. n. 5. & seq.* & in terminis Ferrariensis statuti post *Becc. conf. 62. n. X.* optimè *D. Belmonte in decis. select. dec. 135. n. 9.* ubi quod statutum immunitatis eam domum comprehendit: quicquid senserit *Riminald.* ad hospitium tantùm conductum *conf. 745. n. 28.* quia contraria sententia communior est ac probabilior. Multò minùs trahendus erit hospes ad aliud forum remotum, judicandus est enim ubi deliquit *cap. placuit 46. q. 3. Peyrin de Prælato q. 1. cap. 8. n. 21. Bordon. controv. moral. 45. n. 17.* Imò præ cæteris maximo honore afficiendus in tribunalibus, ut ostendit *Sousa decis. Lusitan. 104. n. 6. & 9.*

Extenditur simile privilegium ad visitantem hospites scholarium, qui vel sit pater, vel alius, privilegiatus est eo loco & tempore, ita ut nec pro re-

præ saliis capi valeat. *Horat. Luc. de privil. schol. privil.* 80. *Tiraq. in l. connub. gloss. 2. n. 57. Pet. Barbos. ad l. 2. 6 legatis n. 348. de judiciis aliiq; apud P. Pereira in sua Republ. literar. lib. 3. q. 2. n. 351.* ubi quòd privilegia hæc iis communicantur, fortasse quia profluunt ex causâ studii quæ Reipublicæ valde prodest.

Quòd si furti casus accidat, uterque hospes, tam excipiens, quàm exceptus qui per accidens turbetur, utpotè fruens justa bonæ famæ præsumptione, juramento super rebus sublatis se purgare poterit, & ab omni tunc suspicione culpæ liberare, ex *Bart. in l. 1. C. loca arg. l. 5. non omnes §. à barbaris. de re milit. sequitur Nicol. Reusnerius I.C. German. cons. 9. n. 21. vol. 3. qui v. 58. ait hospiti amico adversus hospitem competere tantùm actionem depositi per l. quod Nerva §. prætereà.*

Econtrà cariori pretio ipsis vendere, quàm indigenis vetitum, ut fusè *Navarr. cons. 9. lib. 3. de censibus vol. 1.* Quemadmodum pœnam luere debet hospes activus qui hospitatum suum ferentem pugionem vel simile prohibitum instrumentum, ignorantemque statutum post hospitii introitum de prohibitione minimè admonuerit, permiseritque sic incedere per plateas, ut innuit *Angel. ad l. qui perceptione 4. ff. de his qui dejec.*

In pascuis non juvatur hospes præscriptione in alieno fundo si fides facta sit, quòd ea vix dominis sufficiant, prout tradunt *Lips. dec. 788. vol. 2. Capoll. de serv. rust. præd. cap. 9. tit. de servit. jur. pasc. n. 39. & Coler. decis. German. p. 1. decis. 218. n. 5.*

In urbanis, si inter plures ejusdem hospitii quoad conductionem controversia oriatur, qui habet majorem partem non recipientem commodam divi-

divisionem, alteri æstimationem dando præfertur, *Dec. in l. 2. §. 1. n. 22. in ult. lect. si cert. petat. & Raudens. cons. 35. n. 41.*

Superesset aliquid dicendum in materia spirituali, in qua satis erit monere quòd hospites licitè Sacramenta sumunt in ea, ad quam confluunt, parochia. Sic *Abbas in cap. 1. de celebr. Missar. n. 1.*

An verò privilegiis personalibus hospitati, veluti immunitate si sit regularis, ipsemet hospitans fruatur, vide *Azeved. in l. 22. & 23. tit. 14. n. 4. lib. 6.* Et semper hospiti gratuito cum æquissima extensione privilegia cuncta mercennarii, de quibus infra, tribuenda scito.

CAPVT V.

Metatorum Iuris origo & Praxis explanatur.

DEbemus hoc loci recensere amplissimam atq; in praxi summoperè controversam de Metatis materiam, quæ quanquam legis potiùs necessitatem, quàm officium & humanitatem respiciat: cùm sit tamen quid gratuitum, atque ex publicæ utilitatis objecto derivatum, nostro equidem nectitur argumento. Sunt autem Metata hospitia, quæ supervenientibus militibus olim Provinciales tribuebant, ut *Iacob. Guther.* describit in *de offic. domus Aug. lib. 3. cap. 1.* aliàs dicuntur *Mansiones*, id est militum diversoria extra civitatem per circuitum disposita ex *Spelman in suo glossar.* qui tamen nimis individualiter scribit. Sed *Thabor in comment. ad C. hoc tit. p. 2. cap. 1.* conatur illud definire *munus patrimo-*

niale, quo Provinciales milites, vel comites Principis, aut alios sibi aßignatos hospitia excipere coguntur. At à priori tantùm, cùm aliud sit onus aliquid agendi, aliud res ipsa quæ agitur. Melius autem describitur Urbanum militum hospitium, eâ nimirum ratione, quia hospitiorum militarium gemina est species, in castris videlicet, quæ tentoria, seu tabernacula vocantur: & in domibus sive provinciarum, sive urbium, vel pagorum, quæ dicuntur Metata. *Mejer lib.* 49. *ff. tit.* 16. *num.* 9. post *Tholos. adid. C. tit. nu* 2. Sunt stativa etiam, vel transeuntia juxta tempus, quo ibi milites immorentur, ut in Justiniani *Novell.* videndum 17. 128. & 130. Fortasse deductum vocabulum à *Metato* in castris, seu spatio loci, intra quod militem se continere & hospitari oportebat, quod ex *Polybii* histor. deducitur *lib.* 6. in sacris paginis appellata *μοναὶ Ioh.* 14, *v.* 23. Gothofredi etiam cod. tit. diffinitio arridet, nempe metata hospitia sunt, quæ supervenientibus militibus vel aliis personis provinciales exhibent, cui adstipulantur *Rittershus. p.* 14. *Nov. cap.* 6. & *Christinaus* qui plura affert *lib.* 5. *decis. Belgic. dec.* 143. eademque in castris *tentoria* dici & alibi domus probat *Tholosan. syntag. jur. lib.* 19. *cap.* 8. *n.* 2. Sive ad eam ubicumque restringitur ædium partem hospiti militi cum decenti commoditate attribuendam, cui apud Italos est nomen *la commodità d' alloggiamenti* seu *Quartir* ut ex Honorii Thesauro politico placet *Besoldo lib.* 1. *polit. cap.* 4. *n.* 44. *pag.* 177. Inducta verò de jure civili ne milites in eorum transitu ad bellicas vel togatas expeditiones consuetâ grassentur intemperantiâ.

Hoc

Hoc Metatorum onus esse patrimoniale simpliciter vult *Menochius conf.* 1201.*num.* 39. reale verò cohærens patrimonio de jure & observantia Cremonensi *Cas. Carena resol.* 106.*n.*1.3.*&* 4. Sed melius *Georg. Christoph. VValtherius in Eunomia Metator. cap.*2 §.6. quod potest esse patrimoniale, si miles alendus sit, vel reale per se, & personale per accidens.

Metatores inde vocantur, qui castra designant, à metiendo dicti, ut notat *D. Isidor.*1.*etym.* vel qui præcedentes hospitiorum seu diversoriorum loca denotant *l.* 1.2.*&* 5. *eod. hoc tit.* ubi *Gothof. l. ult. C. de divers. offic. lib.* 12. *l.* 1. *& to. tit. C. de Mensor. eod. lib.* pluresque egregii Auctores, ut *Veget. lib.*2. *cap.*7. *Rosin. lib.* 10. *antiq. Rom.* 9. & *Pancirol. lib.* 3. *Var. l. c.* 31. vulgò *Mareschalli* hospitiorum, & *Fourrerij Brisson. lib.*11. *de verb. signif. p.*355. *Tholos.* ubi mox & *Lips. dial.* 12. rationem reddens, quia foribus nomina & numerum militum assignant, quod placuit *Alciat. comment. ad hunc tit. in fi.* Abundè verò *Spelmann.* in suo *glossar.* qui inter cætera: *Marescalli,* inquit, *dignitas egregia, custos datur militaris disciplinæ, curare ordines, armaturas, & metatus militum.* Alij verò hac in re operam navantes, dicuntur *Epidemetici*, ijque sunt, qui disponunt, seu dimetiuntur militibus hospitia, ut ex *Alciat. ibid.* & *Rhodigin. lib.*7. *cap.* 14. *Spigelius in lexic.*

Itaque milites recipiendos esse hospitio, cavetur ex dispositione Juris civilis in *l.* 3. §. 13. *ff. de mun. & honor. l.* 1. & *l. ab his* 10. §. 2. *C. de Episc & Cler. l.* 3. *C. de mun. patrim. lib.* 10. *tit.* 41. *l. ult.* §. *ult. de mun. & hon.* & *l.* 2. *præfat. tit. de Metat.* Qua in re congruit quoque activi & passivi hospitis distinctio ex textibus dedu-

cta,

cta, nempè ex rubrica ejusdem tit. ubi patet activos esse beneficium recipientes, atque ex *l.un. C. de Salgam.hospit.non præstand.* qua constat passivos nonnunquam dici posse cives ac provinciales, qui militibus aut aliis hospitalitatem exhibent, quod debitum ad instar alimentorum videtur esse de jure naturæ, & per consequens si ejus præstatio negaretur, bello vindicanda *ad tex. in l. necare. ff. de agnos. & alend. liber.* quemadmodum factum legitur *Iudic.* 8. *v.* 4. Non tamen permittitur quòd milites furto aliquid tollant, quo juramento à Romanis olim obstricti post *Polyb. scribit Lips. lib.* 5. *de milit. dial.* 15. nec possunt prata devastare, ita ut innocens eorum transitus semper sit, jussitque *Theodoric.* apud *Cassiodor.* 5. 26. & 12. 15. juxta illud *Deuter.* 2. 26. Et hinc est quod modus in metatis comperitur jure præscriptus, ut ea ob necessitatem tantùm primùm imponantur cùm tempestiva notificatione, benigna persuasione, proportioneque circa eorum collocationem & hospitiorum usurpationem adhibitâ, de quo *Brisson.* agens de statione militum, animaliumque cursui publico deputatorum *lib.* 11. *de verb. signif.* verbo *Mansiones.* Ideoque per dominosmet, si est possibile, potiùs quàm per ministros hospitia hujusmodi imponenda ad tex. *Novell.* 134. *cap.* 1. *ibi: neque verò angariis, aut iis quæ vocantur epidemetica, aut alio quolibet dispendio gravare nostros subditos arg. l.* 4. *de offic. Procons.* & ipsi magistratui, non militi id competere scribunt *Besold. in thesaur. practic. & Georg. Mundius in tract. de mun. & honor. cap.* 2. *n.* 75. Vel ad minus alicui jussu Principis *ad tex. in l. observare ubi Bald. de offi. Præs. de Ponte, de potest. Proreg. tit. de provis. facien. §.* 6. *n.* 6. & *Capiblanc. de offic. Baron.*

*super pragm.19.cap.99.n.*10. Quod gravamen affligere inprimis illos subditos, qui ea loca, per quæ vulgo exercitus iter facere consuevit, incolunt, probat *Klech. de contribut. cap.*7.*n.*240. nimiumque exemplo Syllæ apud *Pancirol.* comprobatur *lib.* 3. *var. lect. cap.*31. *pag.* 503. damnatis semper iis hospitationibus, quibus rapacitati, libidini ac tyrannidi, fortuna, castitas ac libertas exponuntur juxta *tex. l.*2.4.& 5.*d.tit.de Metat.* Adversus quas iniquitates tamen adsunt præsidia, ut patet ex duab. legib. videndis, *Iul.* nempe *de vi publ.* & *Iul. de ambitu.* & defensoribus civitatum seu Episcopis ut adversus rapinas & similia, auctoritate interpositâ sint soliciti, cura hæc est commissa in *l. de his* 26. §. *ult. C. de Episc. aud.*

Observanda sunt etiam alia nonnulla circa Metatorum impositionem, ut scilicet publicis intimetur literis sancita missio, ne locus, tempus, aliæque ignorentur circumstantiæ. *Tex. in l.* 3. §. 7. *ad exhib.* & *l.*2. *C. de collat. fund. fiscal.* In urbe, & non in pago potius deligantur, seu in suburbijs quàm in urbis centro, & in hospitijs ac diversorijs publicis, quàm privatorum ædibus, ut post *l.*3.§. 13. *de mun. & hon.* explicat præfat. *Faber p.* 1. *cap.*8.*num.*12. Domus à Metatore pro militibus deputetur, scripto albâ cretâ, vel simili in postibus hospitaturi militis nomine. *Id. Tabor* post *Luc. de Penna p.*2. *cap.*6. quod nomen sub falsi pœna delendum non esse dicit *Brisson. ubi suprà pag.* 45. sed domus in tres partes videtur distribuenda, ut unam pro se dominus servet, alteram hospiti tradat, tertiam iterùm pro se relinquat ut simul habeat electam & relictam per ea quæ *Limnæus* tradit *lib.*9. *Iur. Publ. cap.*1. *n.* 69. & *Petr.*

Loyeck

Loycke fusè in specul. aureo de Pace lib. 1. *sect.* 2. *cap.* 8. Hospes verò activus alienum nomen, putà Magnatis alicujus, ut onus hospitationis devitet, ædibus suis præscribere non valet, aliàs falsi pœna teneretur si id ageret ex *Novell.* 164. *cap.* 1. Sic hospite alium gravans & se eximens punitur *l. omnes* 9. *d. tit. Petr. Greg. lib.* 11. *de Republ. cap.* 5. *n.* 14. *Georg. Mundins ubi suprà cap.* 2. *n.* 56. Passivus præter indicàta contentus esse debet parte domûs præstitâ, modestum se in cunctis præbere, & intra limites æqui & liciti persistere ne fiat locus expulsioni, ut providit Imperator *l.* 5. *d. tit. de Metat.* Rursùs cavere debet, ne sub hoc hospitii jure aliquod faciat nocumentum rei vel personæ hospitantis: quamobrem egregia afferuntur exempla à *Walther.* ubi suprà *cap.* 3 §. 11. Belisarii, qui milites in agros discurrendo fructus attingentes ignominiâ notatos sic allocutus fuit: vim adferre, ut ex aliis pasci turpe semper ac probrosum videri. Avidij Cassij Cæsaris milites in ijs ipsis locis, in quibus aliquid provincialibus auferendo peccaverant, in crucem tolli jubentis: primum *ex Procopio lib.* 4. *bell. Vand.* alterum *ex Vulcano Gallicano in Cassii vita.* Pescennii Nigri, qui ob unius gallinacei direptionem decem commanipulares, qui raptum ab uno comederant, securi percuti jussit, & statim egisset, nisi ab omni penè exercitu ad metum usque seditionis rogatus fuisset, ut commutaret pœnam jubendo ut illi denorum gallinaceorum pretia, quia simul furto consensissent, provinciali solverent. Lysandri demùm qui Bæotos videns incertæ fidei, cùm per eorum agros transiret, sciscitatus est utrum rectis, an inclinatis hastis transiret; transire enim prædando hostium esse,

transire enim prædando hostium esse, transire sine damno amicorum *apud Plutarch. in ejus vita.* Quibus luculenter patet militibus innocentem ubique ducendam vitam. Ingenuè quoque omnes universim, quorum interest in hoc gerere se debent: & proptereà quicumque gravando excedat, puniendus est, quod summoperè à Provincialibus, ne sub alicujus privilegii prætextu eveniat, cavendum *ex l. illicitas §.6.ff.de offic. Præsid.* probat *Georg. Acac. Enenkelius de privil. milit. lib.2. priv.36.* Sic in Galliis Fourerii pœna, si quid ob hospitii liberationem extorqueant, erit furca, ex *Regiis constit. sur le faict de la guerre artic. 7. & 8. apud Tholos. syntag. loc. cit. n.11.* Quòd si una provinciæ pars præ aliis milites hospitando gravata fuerit, Princeps gravamina compensare tenebitur ex *Coninch. disput, 31. dub.7. n.98.* dummodò tamen loci consuetudo ut hospites militibus servitia, habitationē, paleas, &c. gratis tribuant, introducta præscriptaque jure minimè sit; quia excessus hic gravaminis quid accidentale reputaretur, ut discurrit *P. Diana p.6. tract.4. res.26. §. duo juncto §. excipitur* sequutus sententiam *Layman lib. 2. tract.3. cap.12. n.18.* In imperio autem statutum est, ut nulli Principi transitus per alterius ditiones absque ejus consensu permissus sit, idque sub pœna fractæ pacis sive Imperialis banni; sed quicquid juris uni adversus alium competit, coram judice suo experiri debeat. Item universales delectus, vel militum hospitationes absque statuum omnium liberò suffragio nequaquam fieri possunt: contra extraneum sive illum qui Imperii Princeps non est, etiam inconsulto Imperio bellum gerere posse sustinent, quod tamen nondum est decisum: verùm quoties

transitus per alterius status licito modo petitur, petentis sumptibus, absque maleficio, damno, & nota eorum, quorum per territoria ducuntur, id fieri debet. Sic *in instrum. pacis §. gaudeant & §. quoties apud Tulden. in tractat. historico-polit. & alios.* In Comitiis tamen per Vice-Mareschallum de Pappenheim hospitia & loca statibus & legatis, exterorumque Ambassiatoribus, absque ullius immunitate, assignanda notat *Hermes in fasc. Iur. publ. cap. ult. n. 51.*

Nomine verò hospitii ministrandi advertendum est, quòd regulariter comprehenditur tantùm purum hospitium, ita ut hospites domûs militibus tradere non debeant culcitras, lectos, ligna, oleum, aliaque ad victum potumque necessaria, imò à volentibus dare debent recipere, quia tunc donatio ex liberalitate mera promanata præsumeretur, & ut vulgò dicitur nec salgamum, nec alimentum, ut docuit *Roland. à Valle cons. 66. n. 4. vol. 1.* Nisi tamen ex incolarum ignavia utensilia inveniri non possent, quia tunc una cum damni emendatione præstari deberent. *Idem ibid. n. 5.* Vel si contraria consuetudo vigeret, ut apud Insubres bello obsessos, à quibus Trivultio militum duce authore milites integra alimenta arripere cum stipendiis cœperunt, usùsque etsi malus, invaluit Guicciardino teste, notatque *Leand. Galganett. de Iur publ. lib. 4. tit. 20. n. 16.* At crederem ultra domum esse præstandum lectum ad *tex. in §. si verò auth. ut nulli judic. liceat &c.* est quoq; opinio *Capiblanch. ubi* sup. *n. 15.* Nobilibus autem seu belli officialibus in amplioribus domibus hospitium deberi propter domûs commoditatem, quam necessitatis tempore quilibet civis civitati commodari debet, scripserunt *Bude in tract. de Bra-*

xandi

xandi jure p.1. cap.2. n. 114. Ripa *in tract. de peste n.* 12. *& Achill. Pedroccha conf. 9. n.* 12. sive melior domûs pars, ut deducitur ex *eod. C. tit. l.* 2. *& l ult.*

Tenentur Metatis ministrandis ii maximè, qui ad id vitam videntur instituisse, ut caupones, tabellarii, cellarii & quicumque hospitum publicorum numero comprehenduntur ex *Brisson. in l.* 1. *§. naut. caup. stabul.* Rursus omnes generaliter, nisi exempti sint, ut infrà declarabimus, est namque in hoc militibus privilegium, ut nemo facilè immunis censeatur *ex l. omnes* 19. *cum l. seq. & to. eod. tit.* Hinc est quod absque ullo excusationis prætextu ad id compelli possint etiam Forenses, ut est *tex. in l. sunt munera* 12. *de vacat. muner. l.* 6. *§.* 4. *de mun. & hon. l* 2. *&* 5. *C. de mun. patrim.* Item numero liberorum privilegiati, & minores *l. neq;* 5. *C. de mun. patrim. l.* 6. *§.* 4. *ff. de mun. & hon. l.* 7. *eod. tit.* Fœminæ ex *Cujacio l.* 9. *eod. tit. ad l.* 2. *de mun. patrim.* in qua habetur id munus esse patrimoniale quod cunctos ligat, nisi nominatim excepti sint. Decuriones *l.* 21. *C. de Decurion.* quia ibi non est ulla vilitas *ad l. eum qui* 18 *ibi non pecuniarijs C. de Decurion.* Syndici, Consiliarii, Secretarii & similes ex eodem juris principio quod *Tabor* adprobat, ubi suprà *cap.* 4. *art.* 1. qui ad obstetrices, puerperas, viduas & pauperes quosque extendi putat *arg. l. ult. C. qui ata.* Locator etiam ex *l.* 2. *eod. tit.* ita ut si conductor pro eo solvisset, debeant finaliter ei refundi expensæ, ut vult *Kloch. de contribut. th.* 23. & fructuarius *l.* 28. *de usu & usuf.* Imò prædia ædesque Ecclesiæ *l.* 11. *C. de sacros. Eccles.* ædes nobilium, cæterarumque favorabilium personarum *l.* 8. *&* 10. *ejusd. tit.* & *Tiraquell. de nobilit. cap.* 20. *n.* 165.

Fateor tamen nonnullis immunitatem ex summa tantùm Principis beneficentia impartiri *ad tex. in l.ult.in fin. C.de fruct. & lit. expens. Thom. Michael de Iurisd.concl.*1.*lit.c.add.l.un.C.de his qui à princip.vacat. accept.*10.44. seu consuetudine, vel præscriptione quadragenaria tacitè indultâ, ut post *Menoch.de præs.lib.2.præs.*71.*n.*47.*Kloch. de contrib. cap.*16.*sect.* 1.*n.*3. *&* 49.*cum seqq.*aliàs enim, veluti pacto,ea redimi non valet *l.*1. *C.sine cens. vel reliq. & l.*2.*&* 3.*eod.tit.*pauci enim juris civilis dispositione, vel cujusque regionis ac provinciæ consuetudine eximuntur,teste *Limnæo de jur.publ.to.*3.*tit. de Comitiis Imperij lib.*9.*n.*68.Vide *l. & qui originem* 3. §. *munus hospitis* 14. *de mun. & hon.* Hoc in numero sunt loca primùm nonnulla,veluti templa & synagogæ *l.*4.*C.de Iudæ.seu l.*3.*eod.* Monasteria *in tract. Durand. de modo general.concil. celebr.rubr. de immun.Eccles. a.* 4.*fol.*170.*vol.*13.*tract.univ. Iuris p.*1. Judicum prætoria & cætera publica *l.*3.*eod.tit. & l.ult. C. de offic. Rector.Provinc.*egregiè *Panciroli.ex Pausania 2.varior.* 154. qua ratione comprehenduntur ædes palatinæ, seu summorum Principum palatia *l. un.C. de palat. & domibus domin.* 11.76. Fabriciensium, id est hominum armificatoriis deputatorum,domus. *Novell.* 85.*c.*1.*post l.*4.*eod.* Ergasteria,in quibus olim mancipia, hodie autem servi & famuli operantur *l.* 2. *eod.*Molendina *ex Hering. de jur.molar. q.*13 *n.* 19. Balnea publica & salinæ *ex Sixtin. de Regalib. lib.* 2. *n.*9.*& seqq. & Carpzov.eod. tract. th.* 60. Typographiæ, officinæ medicamentariæ Pharmacopolarum,& similia,quæ cuncta enumerat *Id.Thabor. p.ult. cap.*3. Quibus addo civitates ac terras privilegiatas, veluti quæ à Baronibus electæ sunt in cameras refer-

reservatas juxta privilegia Baronibus Regni Neapolitani concessa, de quibus *Franc. Rocco in tract. de officiis eorumq; regim. rubr.* 10. *n.* 86, *&* 87.

Quoad personas excipiuntur primùm Clerici *l.* 1. *C. de Episc. & Cler.* & *cap.* 1. *de immun. Eccles. extra in* 6. eâ nimirum ratione, ne scilicet eorum meditationes ac orationes turbentur, ut *Hostiens.* discurrit in *summa de immun. cap.* 1. & *Rebuff.* monet *de port. congrua n.* 72. quod semper intelligitur de Catholicis, quia hæretici excluduntur. *l.* 1. *C. de haret. & arg. l. ult. C. de Iuda.* Eâque immunitate potitur laicus propter Clericum cum eo habitantem per *Alexr Sperell. decis. can.* 19. *num.* 30. & 42. *num.* 15. *vol.* 1. & familiaris quisque sanctissimæ Inquisitionis teste *Mastrill. de Magistr. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 186. *& seqq.* Sed si in aliquo monasterio consueta fuerit hospitatio, non poterunt cœnobitæ prætendere illius sæcularizationem, ut se ab eo eximant incomodo, ut de praxi ac de rescripto denegato fatetur latè *Illustriss. Fagnan. cap. inter quatuor de Relig. domib. n.* 10. Nec ullo modo sæcularis magistratus hospitari facere potest milites in Ecclesiasticorum domibus etiam laicis locatis, quia tunc indirectè in damnum bonorum Ecclesiasticorum vergeret, ut sacra Episcop. Congregatio pluries resolvit apud *Nicol. Lucubr. civ. lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 15. ubi quod nec personas Ecclesiasticas cogere, vel eorum colonos, conductores, massarios, affictuarios etiam partiarios, vel aliorum locorum piorum ad contribuendum quicquam pro militum hospitatione. Utrum verò militum hospitationis immunitas Clericos, conjugatos, eorumque familiam comprehendat, vide *respons. doctiss. I. C. Alexandri Ventrilia pro Cosmo Cappella.*

 Item

Fateor tamen nonnullis immunitatem ex summa tantùm Principis beneficentia impartiri *ad tex. in l.ult.in fin. C.de fruct. & lit. expens. Thom. Michael de Iurisd.concl.*1*.lit.c.add.l.un.C.de his qui à princip.vacat. accept.*10.44. seu consuetudine, vel præscriptione quadragenaria tacitè indultâ, ut post *Menoch.de præs.lib.*2*.præs.*71*. n.*47*. Kloch. de contrib. cap.* 16*.sect.* 1*.n.*3*. &* 49*.cum seqq.*aliàs enim, veluti pacto,ea redimi non valet *l.*1*. C.fine cens. vel reliq. & l.*2*.&* 3*. eod.tit.*pauci enim juris civilis dispositione, vel cujusque regionis ac provinciæ consuetudine eximuntur,teste *Limnæo de jur.publ.to.*3*.tit. de Comitiis Imperij lib.*9*.n.*68.Vide *l. & qui originem* 3. §. *munus hospitis* 14. *de mun. & hon.* Hoc in numero sunt loca primùm nonnulla,veluti templa & synagogæ *l.*4*.C.de Iudæ.seu l.*3*.eod.* Monasteria *in tract. Durand. de modo general.concil. celebr.rubr. de immun.Eccles. a.* 4*.fol.*170*.vol.*13*.tract.univ. Iuris p.*1. Judicum prætoria & cætera publica *l.*3*.eod.tit. & l.ult. C. de offic. Rector.Provinc.*egregiè *Panciroll.ex Pausania* 2*.varior.* 154. qua ratione comprehenduntur ædes palatinæ, seu summorum Principum palatia *l. un.C. de palat. & domibus domin.* 11.76. Fabriciensium, id est hominum armificatoriis deputatorum,domus. *Novell.* 85*.c.*1*.post l.*4*.eod.* Ergasteria,in quibus olim mancipia, hodie autem servi & famuli operantur *l.* 2. *eod.*Molendina *ex Hering. de jur.molar. q.*13 *n.* 19. Balnea publica & salinæ *ex Sixtin. de Regalib. lib.* 2. *n.*9*,& seqq. & Carpzov.eod. tract. th.* 60. Typographiæ, officinæ medicamentariæ Pharmacopolarum,& similia,quæ cuncta enumerat *Id.Thabor. p.ult. cap.*3. Quibus addo civitates ac terras privilegiatas, veluti quæ à Baronibus electæ sunt in cameras

refer-

servatas juxta privilegia Baronibus Regni Nea-
litani concessa, de quibus *Franc. Rocco in tract. de
ciis eorumq; regim. rubr.* 10. *n*, 86, *&* 87.
Quoad personas excipiuntur primùm Clerici *l.
C. de Episc. & Cler.* & *cap*, 1. *de immun. Eccles. extra*
. eâ nimirum ratione, ne scilicet eorum medi-
iones ac orationes turbentur, ut *Hostiens.* discurrit
summa de immun. cap. 1. & *Rebuff.* monet *de port.
grua n.* 72. quod semper intelligitur de Catho-
is, quia hæretici excluduntur. *l.* 1. *C. de haret. &
. l. ult. C. de Iuda.* Eâque immunitate potitur lai-
s propter Clericum cum eo habitantem per *Alexr
rell. decis. can.* 19. *num.* 30. & 42. *num.* 15. *vol.* 1.
familiaris quisque sanctissimæ Inquisitionis teste
astrill. de Magistr. lib. 3. *cap.* 10. *num.* 186. *& seqq.*
d si in aliquo monasterio consueta fuerit hospita-
, non poterunt cœnobitæ prætendere illius sæ-
larizationem, ut se ab eo eximant incomodo, ut
praxi ac de rescripto denegato fatetur latè *Illu-
iss. Fagnan. cap. inter quatuor de Relig. domib. n.* 10,
ec ullo modo sæcularis magistratus hospitari fa-
re potest milites in Ecclesiasticorum domibus et-
m laicis locatis, quia tunc indirectè in damnum
norum Ecclesiasticorum vergeret, ut sacra Epi-
op. Congregatio pluries resolvit apud *Nicol. Lu.
ibr. civ. lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 15. ubi quod nec perso-
as Ecclesiasticas cogere, vel eorum colonos, con-
uctores, massarios, affictuarios etiam partiarios,
el aliorum locorum piorum ad contribuendum
uicquam pro militum hospitatione. Utrum verò
ilitum hospitationis immunitas Clericos, conju-
atos, eorumque familiam comprehendat, vide
*esponsf. doctiss. I. C. Alexandri Ventrilia pro Cosmo Cap-
ella.*

Item ab hoc onere liberantur Doctores & Magistri quicunque ex *l. 8. eod. tit.* & *l.6. C. de profess. & med.* dummodo tamen actu legant, sed cum salario per ea, quæ tradunt *Bachov. 2. disp. 9. th. 2. in fi. Treutler th. 1. disp. lit. 9.* & *Kloch. de contribut. cap. 16. sect. 1. num. 206. & seqq.* Præcipuè Advocati *l. 5.* & *l. 11. C. de Advoc. Iacob. Guther. de offic. domus Aug. lib. 3. cap. 1. jam cit.* Et latè *Grat. discept. 898. num. 8.* ubi plura. Medici etiam non legentes, ut *ex rubr. de profess. & med. advers. Ripam in l. 1. num. 133. ff. sol. matrim.* scribit *Castagna in tract. de beneficio deducto ne egeat tit. de inope debitore cap. 16. num. 134.* & quicunque Literatorum nomine comprehensi, de quo vide quæ scripsimus *in nostro tractatu* juridico, *seu comment. ad l. ult. ff. Fin. Reg. de Distantijs.* Ita ut eorum ædes quoque liberæ censeantur, etsi per ipsos necessitatis tempore aliquid erogandum foret *l. 3. C. de profess. & med. lib. 10. Cod. Theod. eod. lib. 13. Guid. Pap. decis. 88. 388. & 399. Natta cons. 1. per tot. vol. 1. Hartman. lib. 2. practic. for. tit. 52. num. 2.* & *Georg. Mundius de muner. patrim. ordinar. cap. 2. num. 77.* Verùm excluduntur Grammatici moderni *l. ult. § ult. de mun. & honor.* non ij, quos *Seneca* describit *epist. 88.* Poëtæ *l. 3. de profess. & med.* & Musici *l. 6. §. Grammatici. C. de excus. muner.* ubi *Cuiac.* retentâ prærogativâ Pictorum, qui tanquam artis ingenuæ professores, ad privilegium admittuntur, ut ex *l. 8. eod. tit.* & *l. ult. C. de excus. artif. Tabor. p. 3. a. 3.* & *Kloch. ubi suprà* egregiè deducunt: quorum tamen nonnulli ad aliquid eâ ratione contribuendum obligantur in Regno Neapolitano, dummodo contraria minimè adsit consuetudo ex *Capiblan. de Baron. prag. 19. num. 68. p. 1.*

Eximuntur etiam Fisci conductores, seu habentes vaccas à numero quinquaginta supra, ut notat *Mastrill. de Magistrat. lib. 3. cap. 10. num. 198. & seqq.* Milites gravis vel levis armaturæ *l. fin. §. penult. ff. de mun. & hon.* Partes onusti *l. semper. ff. de ju. immu.* Viduæ pauperes ratione honestatis *l. 3. C. de mun. patrim. lib. 11. arg.* item *si propter paupertatem instit. de excus. tutor.* Mercatores, qui ad tempus resident. *Luc. de Penna rubr. de milit. negot. lib. 10.* Infirmi *l. 3. C. qui morbo se excus.* Qui vacant pijs exercendo Xenodochia *l. omnia. C. de Episc. Capiblanc. ubi proximè.* Domos in civitate non habentes, quanquam in territorio prædia possideant. *Purpurat. cons. 428. num. 66.* & Agricolæ *l. 1. §. ult ff de eden. l. 2. & l. 3. C. de defens. civit. Auth. C. quæ res pign. dari poss.* & *cap. 2. de pace & treuga:* quâ ratione *Herodot. lib. 1.* scribit Xerxem Persarum Regem in expeditione contra Græcos agricolis & pastoribus ubique parci voluisse, cùm armatis tantùm viris bellum se inferre pronunciaret. Et *Choppin. lib. de privil. rustic. 1. p. 1. cap. 2.* refert ultra noctem non teneri milites hospitio recipere, & multò minus ijs alimenta præstare, in villis enim ab earum Dominis hospitationem deberi, vult *Moles decis. Neap. §. 5. num. 1.* qua ratione agrorum videtur immunitas introducta, ut *to. tit. C. de Agric. & censit. l. 1. eod. & auth. agricultores post l. 8. C. quæ res pignori oblig. poss.* Plura vide apud *Rovit. decis. 70. Sanfelic. dec. 37. num. 35.* & præ cunctis *Thesaur. quæst. forens. 93. lib. 1.* An verò hoc munus concessum censeatur plenissimâ immunitate concessa, examinat *Franc. Marc. decis. Delphin. to. 1. quæst. 458. num. 10.* At cum *VValther. cap. 9. §. 69.* plura hujusmodi privilegia hodie temporis obso-

Item ab hoc onere liberantur Doctores & Magistri quicunque ex *l. 8. eod. tit.* & *l. 6. C. de profess?. & med.* dummodo tamen actu legant, sed cum salario per ea, quæ tradunt *Bachov. 2. disp. 9. th. 2. in fi. Treutler th. 1. disp. lit. 9.* & *Kloch. de contribut. cap. 16. sect. 1. num. 206. & seqq.* Præcipuè Advocati *l. 5.* & *l. 11. C. de Advoc. Iacob. Guther. de offic. domus Aug. lib. 3. cap. 1. jam cit.* Et latè *Grat. discept. 898. num. 8.* ubi plura. Medici etiam non legentes, ut *ex rubr. de profess. & med. advers. Ripam in l. 1. num. 133. ff. sol. matrim.* scribit *Castagna in tract. de beneficio deducto ne egeat tit. de inope debitore cap. 16. num. 134.* & quicunque Literatorum nomine comprehensi, de quo vide quæ scripsimus *in nostro tractatu* juridico, *seu comment. ad l. ult. ff. Fin. Reg. de Distantijs.* Ita ut eorum ædes quoque liberæ censeantur, etsi per ipsos necessitatis tempore aliquid erogandum foret *l. 3. C. de profess. & med. lib.* 10. *Cod. Theod. eod. lib. 13. Guid. Pap. decis. 88. 388. & 399. Natta cons. 1. per tot. vol. 1. Hartman. lib. 2. practic. for. tit. 52. num. 2.* & *Georg. Mundius de muner. patrim. ordinar. cap. 2. num. 77.* Verùm excluduntur Grammatici moderni *l. ult. § ult. de mun. & honor.* non ij, quos *Seneca* describit *epist. 88.* Poëtæ *l. 3. de profess. & med.* & Musici *l. 6. §. Grammatici. C. de excus. muner.* ubi *Cuiac.* retentâ prærogativâ Pictorum, qui tanquam artis ingenuæ professores, ad privilegium admittuntur, ut ex *l. 8. eod. tit.* & *l. ult. C. de excus. artif. Tabor. p. 3. a. 3.* & *Kloch. ubi suprà* egregiè deducunt: quorum tamen nonnulli ad aliquid eâ ratione contribuendum obligantur in Regno Neapolitano, dummodo contraria minimè adsit consuetudo ex *Capiblan. de Baron. prag. 19. num. 68. p. 1.*

Exi-

Eximuntur etiam Fisci conductores, seu habentes vaccas à numero quinquaginta supra, ut notat *Mastrill. de Magistrat. lib. 3. cap. 10. num. 198. & seqq.* Milites gravis vel levis armaturæ *l. fin. §. penult. ff. de mun. & hon.* Partes onusti *l. semper. ff. de ju. immu.* Viduæ pauperes ratione honestatis *l. 3. C. de mun. patrim. lib. 11. arg.* item *si propter paupertatem instit. de excus. tutor.* Mercatores, qui ad tempus resident. *Luc. de Penna rubr. de milit. negot. lib. 10.* Infirmi *l. 3. C. qui morbo se excus.* Qui vacant pijs exercendo Xenodochia *l. omnia. C. de Episc. Capiblanc. ubi proximè.* Domos in civitate non habentes, quanquam in territorio prædia possideant. *Purpurat. cons. 428. num. 66.* & Agricolæ *l. 1. §. ult ff de eden. l. 2.* & *l. 3. C. de defens. civit. Auth. C. quæ res pign. dari poss.* & *cap. 2. de pace & treuga;* quâ ratione *Herodot. lib. 1.* scribit Xerxem Persarum Regem in expeditione contra Græcos agricolis & pastoribus ubique parci voluisse, cùm armatis tantùm viris bellum se inferre pronunciaret. Et *Choppin. lib. de privil. rustic. 1. p. 1. cap. 2.* refert ultra noctem non teneri milites hospitio recipere, & multò minus ijs alimenta præstare, in villis enim ab earum Dominis hospitationem deberi, vult *Moles decis. Neap. §. 5. num. 1.* qua ratione agrorum videtur immunitas introducta, ut *to. tit. C. de Agric. & censit. l. 1. eod. & auth. agricultores post l. 8. C. quæ res pignori oblig. poss.* Plura vide apud *Rovit. decis. 70. Sanfelic. dec. 37. num. 35.* & præ cunctis *Thesaur. quæst. forens. 93. lib. 1.* An verò hoc munus concessum censeatur plenissimâ immunitate concessa, examinat *Franc. Marc. decis. Delphin. to. 1. quæst. 458. num. 10.* At cum *VValther. cap. 9. §. 69.* plura hujusmodi privilegia hodie temporis obso-

leta & antiquata esse, juxta diurnum infœlicitatum incrementum, arbitramur.

CAPUT VI.

Hospitationis passiva ad Episcopos, Principes, Iustitiæ Ministros ac Studiosos extensio.

MAximam cum præcedenti affinitatem materia hoc proposita capite præsefert, quæ majoris tantùm claritatis gratiâ sejungitur, & in peculiari hac sede constituitur. Consentiunt autem quoad etymon voces *Hospitatio* & *Albergaria*, quibus promiscuè, tanquam juris præstandi, sive exigendi matricibus, Doctores utuntur: nec præstat novas significationes tradere; esset enim prorsus nihil agere, quod longe pejus, quàm otiari. Rem igitur attingendo præmitto necessarias hasce hospitationes, quemadmodum gratuitæ, ex solemnibus & anniversarijs templorum dedicationibus originem sumere, ut dixit *Kloch. cons. 21. num. 57 cum plurib. seqq. vol. 1.* Servitutem habere discontinuam, quæ immemoriale præscriptionis tempus expetit. *arg. c. ad audientiam de præscript. Paris. cons. 26. num. 22. vol. 1. & Id. Kloch. cons. 10. num. 292. & cons. 21. præcit.* De annis præteritis nullo modo debendam per *tex. in cap. cùm aliter de censib. ubi Io. Andr. & Specul. Ludov. Roman. singul. 236. & cons. 417. num. 3. Felin. in cap. cúm ex hospitij num. 4. de præscript. & Anton. Sola in constit. Sabaud. de ju. emphyt. p. gloss. 4. num. 3.* Et ab illa ad jurisdictionem invalidum esse argumentum, cùm illa in percipiendo consistat, hæc in justitiam administrando. *Id. Kloch. cons. 21. num. 91.*

post

post Castrens. cons. 406. *num.* 4. *vol.* 1. Quemadmodum generali concessioni Castri facta Baroni etiam cum omni imperio minimè accedit, ut fusè *Mastrill.* ratiocinatur *de Magistr. lib.*3.*cap.*1.*n.*181.

Erat autem onus comiti provinciæ præstari tunc temporis consuetum, cùm ad castra locaque provinciæ ad querelas subditorum contra suos officiales audiendas migrabat, ut post *Bertrand. cons.* 179. *num.* 3. *vol.* 3. & *Sola ubi suprà Oldrad.* respondit *cons.*98.*in princ.* Quod jus hospitandi inter Regalia *Mutius Surgens* enumerat *in annot. ad tract Matth. Anton. Surgentis de praef. prator. fol.* 402. *& seqq.* forsan ad procurationis Episcopis diœcesim visitantibus cujusdam subjectionis intuitu normam introductam ne laici deterioris sint conditionis, quàm Clerici. Ita ex *DD. in c.* 1. *de censib. in* 6. *Iacob. Phil. Portius cons.* 194.*num.* 4. & *Kloch. cons.* 8. *num.* 125. *cum seqq.* & *cons.* 10. *num.*273.*vol.*1. Advocatis quoque præstandum erat à suis Clericis, dum vel peregrinabantur, vel ad eorum accedebant Ecclesias. Patet ex *Capitular. Caroli Magni lib.* 3. *cap.* 68. *in Cod. leg. antiq. verb. Heribergare*, seu hospitio recipere, & in *Capitul. Caroli Calvi heribergum*, quod nobis est *Albergo.* Sed fortasse paulatim evanuit, cùm apud Trithemium in *Chron. Hirsaug.* Advocatus Hirsaug. Monasterij in eo pernoctandi licentiam aut facultatem non habeat, ut cum similibus refert *Franc. de Roye Andegav. Antecess. commentar. ad tit. de jure patr. cap.* 23.

Ad Proconsulem tamen jus istud extensum fuisse non videtur, cùm potius injunctum sibi sit, ne provincias hospitijs præbendis gravet *l. observare* 4. *ff. de offic. procons.* nec donum aut munus accipere per-

mittitur, quàm victûs quotidiani causâ *l. solent 6. §. non verò in totum ff. eod.* quæ esculenta tantùm ac poculenta comprehendit nunquam interdicta, ut *Farinacc. in praxi crim. qu. 111. num. 250. & seqq.* ex quorum spontanea præbitione forsan jus nostrum emanatum *Kloch.* arbitratur *præd. consf. 21. n. 34.*

Hodie potissimum debetur hospitium Episcopo visitanti unà cum procuratione *c. cùm Apostolus 6.* & *c. cùm venerabilis 31. extra de censib.* cui nullo modo præscribitur, ut inquit *Matth. Coler. in c. accidentes. n. 4. post gloss. de præscript.* quia id esset contra obedientiam ac reverentiam superiori debitam, præscriptionem inducere Et obsoletus est ritus hospitij in Abbatijs à Magnatibus & Episcopis per suas literas pro charitate petendi, quemadmodum fecisse Ottonem, qui fuit alter Papa in Anglia, scribit *Matth. Parisiens. in hist. majori anno 1253. fol. 879.* quanquam ipsis occasione visitationis in eo Regno jus hospitij nuper scripserit deberi ex illustriss. Societate *Eduard. Chamberlayne nell' estat present de l'Angleterre p. 1. cap. 17.*

Rursus præstandum est Principibus *l. 2. ibi in qua urbe fuerimus C. de metat.* quod crederem ad supremos restringi, non verò ad cunctos etiam superiorem recognoscentes extendi, quia viget conclusio quòd vassalli erga dominum suum obnoxii ad id neque domi, neque foris sunt, de qua *ad tex. in l. 2. præd. tit. de metat. Bald. in l. observare in princ. col. 1. vers. & nota ff. de offic procons. Cravett. cons. 308. in princ. & Salon de Pace cons. 3. n. 97.* Si tamen ipsis debetur, est etiam iis qui sunt in ejus comitatu, nempe aulicis & stipatoribus præstandum, ut putant DD. sed cum aliqua moderatione, ita ut limites honesti & æqui non excedan-

cedantur, quod à circumstantiis metiendum censeo. Quando verò talis est qui excipi debeat, contentus erit modesto sumptu comestibili in tertia tantùm domûs parte vindicato, quemadmodùm existimant *Greg. Lopez partit. 4. tit. 25. lib. 6. verb. Doven. las servir post princ. fol. 626. & Andreas Knichen de jure super. in comm. vel alterius territ. cap. 4. num.* 494. nec aliquis cujuscumque privilegii prætextu poterit se excusare, ut *Io. Otto Tabor de Metat.* fusiùs probavit.

Fortiùs Legatis Principum debetur, cujuscumque generis ii sint, vel laici, vel Ecclesiastici, dummodò mittentes superiorem non recognoscant, & per consequens legatos propriè deputare queant, non verò Ambassiadores seu ablegatos, & missi in expeditione sint. Hoc rationis fulcro apud Ripuarios *in legib.* per Lindembrogium editis *tit. 65. §. 3.* sic fuit sancitum: *Si quis legatarium Regis, vel ad Regem, seu in utilitatem Regis pergentem hospitio suscipere contempserit, nisi emunitas Regis hoc contradixerit 60. sol. culp. Iud. Aut si Regius Romanus, aut Ecclesiasticus homo hoc fecerit, unusquisque contra auctorem suum 30. sol. mulctetur.* De Legatis & Nunciis Apostolicæ Sedis, qui veluti Summi Pontificis vicem gerentes in necessariis quoad equos & personas provideri debeant ab Episcopis, quanquam ad ipsorum provincias deputati non sint, & ab aliis, argumentum est in *tex. l. un. C. de offic. præf. præto. Africæ cap 94. dist.* & alibi. Fusè *Gondiss. Villadiego in tract. de Legat. q. 7. n. 1. & seq.* ubi extendit, etiamsi de necessariis expensis fuerit iis provisum: quæ tamen in casu necessitatis modificanda crederem, tunc enim etiam Regulares ministrare tenentur, quicquid iis suppetit in cœnobio: Qua de causa non multis hinc annis superior

rior quidam qui ostium clauserat vespertinis horis Nuncio Apostolico, ad urbem illicò fuit vocatus, pœnamque condignam merito passus.

Quòd Regi debeatur, nemo est qui contradicat, cùm potiùs nonnulli privilegium ipsius particulare, tanquam veri & absolutissimi Principis consentiant, ut videre est apud *Mastrill. oper. cit. cap. 10. lib. 3.* Unde planum est quòd in Cathalonia, quo loci hospitalitas nemini gratis est concedenda, & militibus quoque præcipitur pro expensis solutio exceptâ domo, Regi tertia domûs pars est assignanda, idemque ejus domesticis ac familiaribus, scribentibus *Luca de Penna ad l. 2. de metat. & Cancer. var. resol. p. 3. cap. 5. n. 65, 66. & 67.* quanquam id regios Commissarios excludat, quibus cum congrua mercede hospitium est per *Bart. in l. observare in princ. ff. de offic. proconf. & lega. & Ferrer. observ. ad Senat. Cathalon. p. 3. cap. 380.* & Neapoli ab Honorio Pontifice facultatem Regum hospitationis evulgatam *Klcch.* alios citans ostendit *d. conf. 21. n. 41.* ubi *Matth. de Afflict.* inquit *dec. 265. n. 111.* vassallum teneri hospitium dare pro familia Regis, quo debito an cives alibi universim adstringantur examinat *Vasq.* qui videri potest *controv. illustr. net. q. cap. 8. n. 15.* At in Aragoniæ Regno soluta mercede seu pretio exhibendum hospitium pro certo astruunt *Alciat. conf. 174. Greg. Lopez in l 6. tit. 25. p. 4. & Molina verb. libertates Regni fol 210.* Cujus praxim ab *Ramirez in tract. de suprema & absoluta Principum potestate, seu de lege Regia §. 26. n 8, & 9.* post multos auctores in margine allegatos his verbis editam prætermittere pro majori elucidatione noluimus: *Solent jurati illius civitatis vel villæ, ad quam Rex est venturus concomitare men-*

mensores qui Aposentadores D. *Regis vulgo vocantur, & apponere signum hospitii in januis cujusque domus: quod si aliquis deleverit, ut falsarius tenetur; & licet multa juris firma obtenta reperiantur à Curia Domini Iustitiæ Aragonum, quibus inhibetur, ne quis infantio vel miles invitus cogi possit ad hospitandum : tamen hoc intelligendum gratis, quia solutâ mercede, tanquam munus patrimoniale, etiam exempti subire tenebuntur.* In Gallia vero quia fortasse usitatior est Regis peragratio, cum maxima diligentia subditi gratis exhibent hospitium : & cum Magistri Regii hospitii sint alicubi electi, ii merces & negociationes exercere prohibentur, quia occupatio circa Regis curam omnes alias excludit, & ne dum ad utrumque festinarent, neutrum bene peragerent, quemadmodum *ad tex. in l. fin. C. de assesso. Rebuff.* observat *comment. in constit. Regias tract. de mercatorib. &c. gloss. 5. fo.* 449.

Verùm ubique discretissimos Reges in absolvendos à gravioribus oneribus subditos comperio. Hinc est quod in Galliæ hospitalibus propinquis locorum, in quibus Rex diversaretur dona à Philippo Pulchro Rege relicta ostendunt ibi munificæ, quarum meminit *Ren. Choppin.* tabulæ *in de jure Cœnobitar. lib. 2. pag.* 217. In Scotia verò, cùm statutum quandoque fuerit, ut nihil pro Regis usu à communitatibus absque prompta caperetur solutione, aliquid *Prisa* nuncupatum tradebatur, ut refert *eruditiss. Spelmann. in suo glossar. hoc verbo* : Æquissimo prorsus fundamento favore pauperum, & cœlitùs comprobato si fidem præstamus D. Birgittæ, cui Dominus Ulpho Gudhmarson ejus quondam maritus illi apparuit, & de fructu bonorum in vita operum hæc *in eius revel. extravag. cap. 56.* retulit : *Quar-*

Quartum est quòd cautus fui quantum potui, ne per me, vel meos pauperibus in hospitando essem ingratus vel onerosus, seu sumptuosus omnem adhibens sollicitudinem, ne contraherem debita, nisi praviderem unde solverentur. Caveant igitur ministri, & multò magis Principes, qui nimiùm hujusmodi præstationibus subditos suos vexant.

Doctores nobiles exemptos se jactitant ab hoc Regiæ familiæ hospitationis onere quanquam solvant arg. *tex. in l. in quemlibet pen. & ibi Io. de Platea C. de Metat. sequitur Bald. in l. observare in princ. ff. de offic. procons. & l. medicos C. de profess. & med.* excepto tantum necessitatis casu, quo privilegia vigere non possunt, ut *Cancer.* consideravit ubi *supra n.* 73. Verum Doctores egregie scribendo quandoque ad proprium favorem jura accomodant, quod in praxi præterquam ad excitanda jurgia majora, non prodest.

Judicibus deberi hospitium colligitur ex *tex. l.* 4. §. 5. *de offic. proconf.* & notat. *Panormit. c.* 1. *de immun. Eccles.* cum aliis non paucis, quod privilegium cum eo quo milites fruuntur æquiparari *Chassan.* affirmat *in Catal. glor. mundi p.* 11. *conf.* 46. *in fi.* Verum id non procedit cum is ad justitiam in suæ locum jurisdictionis ministrandam tendit, tunc enim recipere congruam mercedem hospitans debet subditus per ea quæ tradit *Cancer. d. p.* 3. *cap.* 5. *n.* 58. Et nunquam hac de causa legi quod nimiis expensis oneranda sit provincia, imo ex praxi didici ipsos solere muniri literis seu syngraphis hospitalibus pro utriusque, recipientis scilicet ac recepti, majori commodo ac facilitate. Quibus addo quod in statu Ecclesiastico seu dominio sanctæ Ecclesiæ Satellitibus vel Binuariis,

nuariis, dum ad aliquod exequendum mandatum migrant, gratuita hospitalitas in publicis cauponis & diversoriis est ministranda, nempe cubiculum, lectus & salaceterboleum, vulgo *Insalata*: quod si publicus locus non adsit, præstatur ab ejus loci Magistratu & Præside.

Studium favet quoque scholaribus adolescentulis, nempe qui primis studiis imbuuntur, ac studiosis qui ad majora per praxim in juventute provolant, ut Reipublicæ ornamento & adjumento facilius esse queant lucubrationibus suis: ideoque tum communi tum alicubi municipali jus obtinent hospitationis, in Lusitania appellatum vulgo *Apozentadoria*, ut scilicet ab incolis civitatis in qua studia adsunt generalia, etiam per compulsum, domum obtineant, cum utilitas publica quæ in ipsis præsumitur militare, sit cæteris præferenda ex *gloss. f. l.* 1. *C. de stud. liber. Vrb. Roma & l.* 1. *C. qui ata. se excus. lib.* 10. tradunt *Gratian. tom.* 2. *cap.* 357. *num.* 24. *Duhenas reg.* 231. *Rebuff. Schol. priv.* 7. *Petr. Barbos.* 7. *p. l.* 1. *num.* 51. *ff. sol. matrim. Aug. Barbos. tom.* 2. *in collect. lib.* 4. *C. tit. de loc. & cond. l. ne cui num.* 25. & *Pereira in sua lucubratiss. Republ. liter. lib.* 3. *quæst.* 6. Qui tamen dicunt scholares ac studiosos præferendos in ædium conductione pro eodem pretio, dummodo domus sit vacans, & alia idonea minimè inveniatur; satis enim est, si provisio hujusmodi ad decentiorem ipsorum hospitationem eo casu vigeat, quemadmodum Bononiæ hac in re statutum profertur excommunicatione vallatum, de quo *Felliucc. tr.* 14. *num.* 49. *Navarr. in manual. cap.* 27. *num.* 114. *vers.* 4. & *alij.* Et in Academijs Conimbricensi & Eborensi privi-

privilegium inesse, ut scholares decenter hospitentur, cum Rectoris ad id obligatione, scribit *Id. Pereira lib. 5. disp. 3. qu. 2. nu.* 785. & similia in alijs permultis studiorum Universitatibus privilegia, præ cunctis, observantur.

Verùm præfata onera, ut & Metatorum, suis fulcita sunt æquissimis subterfugiis, iisdemque prorsus, quæ superiori capite satis digessimus; aliàs enim absque hujusmodi limitatione trahi videretur Juris provisio (quod absit) ad specimen quoddam Iniquitatis.

CAPVT VII.

Quanam ratione ad mutuos convivalesque congressus Amici jure nostro vocari videantur?

EGregio inter virtutes Hospitalitatem loco potiri, nostrarũ lucubrationum initio delibavimus; In actu nihilominus convivali, & cum iis exercito, cum quibus necessitudo nostra intercessit, eandem vigere ipsius dignitatem obvia hîc est dispositio, hospitii jure ex amicitiæ fontibus derivata. Convivii quidditatem accurate, juxta utramque Philosophiam, tum græcam, tum quoque Romanam tradit *Cic. lib.* qui *Cato, seu de Senect.* inscribitur, in quo: *bene* inquit, *majores nostri accubationem epularum quâ vitæ conjunctionem haberet, convivium nominaverunt melius quam Græci, qui hoc ipsum modo compotationem hoc est symposium, modo concænationem vocant,* quibus verbis virtute præditum animi & corporis condimentum apud suos exquisite conjungit.

Tantâ

Tantâ profectò apud veteres fuêre veneratione exculti convivales congressus, ut ad mutuum animorum consensum, dulcem ac jucundam amicorum consuetudinem, omnino necessarii viderentur: quâ ratione Parasitus ad Tychiadem apud *Lucian. in Paras.* dicebat: *audivi ego sæpe numero dicentes quospiam, cujusmodi ille amicus est, qui neque edit, neque bibit unquam nobiscum? quasi eum, qui una cibum capiat atque combibat, solum fidum amicum esse existiment*: tunc enim sibi suadebant amici, eadem prorsus ferculorum ac vini communione, jus suum tum in publicis, tum in privatis rebus cuique reddere, fine semper conviviorum perspecto, nempe oblectatione seu vivendi ratione inter pocula, cum gratia quadam in amicitiam desinente, de quo *Plutarch. 1. sympos. probl. 1.* Nil igitur mirum si ex eodem 7. 9. *ibid.* Græcorum plerique, qui bona fuêre disciplina instructi, instituta que prisca servarunt, in vino & conviviis magistratus continebant, quod Cretensium Andriam Spartanorum Syssitiam, & Atheniensium Prytaneam arcanorum consiliorum veluti gymnasiá docere affirmat. Ita Persarum fuisse morem inter pocula de seriis rebus consilium capere, quemadmodum de bellis Bactriani, qui deinde si quid complacitum foret, fide & fœdere firmasse, scribit *Alex. lib. 5. cap. 21.*

Ex quibus fortasse orta est, secundum fines propter quos celebrabantur, multiplex epularum distinctio, Religiosarum nempe & sacrarum, exequialium, Nuptialium, Triumphalium, & potissimum hospitalium, quæ ex nomine naturam produnt. De primis fas erit fœcunda *Polyd. Vergil.* verba usurpare *de rer. invent. 5. 1. A Romanis mutuo sumptum*

eſt, ut & ſacerdotes & laici diebus feſtis convivia, non ternis aut ſenis ferculis, ſed vicenis (ſi fieri poſſit) ſuis præbeant amicis. Quin etiam jam ita uſu venit, ut non cenſeatur eſſe celebritas, niſi ſit opiparo comitata convivio. Eſt *& illud ab eiſdem Ethnicis, quod & Sacerdotes noſtri cum primam celebrant miſſam, conſacerdotes & amicos convivio accipiunt, eundemque diem non minus religioſe quam natalem colunt, ceu bene auſpicantes ſacerdotalem introitum.* Et *id quidem non immerito, quoniam ex illo vitam tantum, ex hoc vero vita ſancta producitur. Ita apud Gentiles idem dies quo quis ſacris initiabatur, natalis ſacrorum appellabatur, religioſoque jentaculo celebrabatur.* Et deinde ad utriuſque confirmationem ad rem facientem recitat Apuleii *text. lib. Metam.* 11. ibi: *Ex his feſtiſſimum celebravi natalem ſacrorum, & ſuaves epulas, & faceta convivia; dies etiam tertius pari ceremoniarum ritu celebratus, & jentaculum religioſum.* Plura eorum genera ac diverſarum gentium cum ſuis rationibus *Simon Majol.* expendit *in dieb. canicul. p. 2. colloq. 5.* de quorum apparatu, loco, tempore, ac muneribus alimentariis conſule *Stuch. in ſuis Antiquit. Convival.* & *Ciaccon. in tract. de Veter. Cœna.* Omnes vero congreſſus hujuſmodi ex eadem hoſpitalitatis radice prodire arbitror, quippe qui de vulgata apud Juris-Conſultos omnium inter ſe hominum naturali cognatione, luculentiſſimum afferant teſtimonium.

Probavit Conviviorum utile experimentum Cicero dum Papirio epiſtolicam hanc miſit ſuæ vitæ formam *lib. 9. famil. ep ult. Sic igitur vivitur: quotidie aliquid legitur aut ſcribitur: deinde, ne amicis nihil tribuamus, epulamur una, non modo non contra legem, ſi ulla nunc lex eſt, ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto.*

Quare

Quare nihil est quod adventum nostrum extimescas. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci. Eadem in sententiâ fuêre prisci sapientes omnes, qui morales naturalesque inter pocula & fercula quæstiones exagitabant, quemadmodum patet apud *Plutarch. in sympos. Athen. Dypnos. Agell. aliosque.*

Nec displicuit mos hic Christo Domino, qui amicitiam in conviviis magni pendens, & cum publicanis epulari non erubuit. Sic ex antiquissima consuetudine in Ecclesia pauperum fiebant convivia à SS. Patribus publice permissa, & fidelibus Christianis corporali unanimi sumptione post manducationem Corporis Redemptoris spiritualem, seu refectionem usitata, quæ *Agapes* vocabant, ut ex *Act. cap. 2. v. 26. Card. Baron. ad ann. Christi 57. ex n. 137. tom. 1. fol. 338.* Durant. de ritibus *Eccles. lib. 1. cap. 1. n. 4. & Lorin. ad præd. loc. Act.* plura apud priscos Patres hac voce *Agapes:* prohibita deinde posterioribus temporibus, cum Clerici vocati, ut ex *plurib. Concil. decret. & canon.* constat, partem sibi tollere diabolica fraude satagebant; Et saniori consilio in tabernacula prope Ecclesiam, & ad pietatem in pauperes exercendam postmodum in hospitales ædes mutata, ut ipsæ, non vero templa ad inopes, pupillos, infantes, senesque recipiendos paratæ sint, ut per *tex. c. in qualibet ubi gloss. verb. Xenones 23. q. 5. Laurent. Bellis tradit in repetit. tex. in can. nullus mortuus dis. 2. p. 13. q. 2. n. 30. & 31.* Unde vide in quot varios actus, piissimo fine objecto, undecumque jus Hospitalitatis migrabat. Plures autem clarissimi viri pauperes semper ad mensam vocarunt, quos referre operæpretium non est. Hodie Apostolorum Hospitalitas in palatio Pontificio nobiliter revi-

 viscit,

viſcit, ibi enim quotidie cum duodecim pauperibus exercetur, quibus Clemens IX. ſanctiſſimæ Pontifex memoriæ nuper egregio ſummæ pietatis exemplo æmulorumque admiratione propriis ſemper manibus miniſtrabat.

At nonnulla obſervanda ſunt ne convivia, honeſtate poſthabitâ in luxum impudentiſſimum vergant: cuncta enim fugienda proponuntur, quæ à boni ſpecie quocumque modo etiam in minimis nos retrahere queunt ad *tex. can. quoad nos* 47. *diſ.* Eccleſia igitur pro triclinio minime eligenda *Concil. Aquiſgr. ſub Ludovico Pio c.* 39. & 80. *diſ.* 42. & *cap. non oportet in Baſilicis.* Judæorum conſuetudo non admittenda ex *cap. nullus & cap. omnes* 28. *q.* 1. & per conſequens hæreticorum, multo magis cum clerici, qui Acatholicorum conviviis interſunt per annum communione privandi, ut voluit *Concil. Epaun. c.* 15. & ſi juniores id faciant, vapulent. *Id. Conc. ibid. & Meldenſe cap.* 37. Rurſus quæ per clericos celebrantur, tẽperata, id eſt frugalia & ſobria ſint, docente *Greg.* 1. *lib.* 2. *epiſt.* 37. *diſ.* 44. *cap. convivia.* Caveant iidem à riſu, cantu atque ebrietate, nec ſe ad bibendum invitent *cap. nullus Presbyteror. de conſecr. diſ.* 5. Quod ſi caſus exequiarum contingat, non fiant quam ſi diſtantia id permittat, & tunc in domo Sacerdotis & honeſte *ex Reformat. cleri Germaniæ cap.* 8. neque generaliter plures quam ſex vocentur, omneſque clerici, ut ſancivit *Concil. Mediol.* 1. *p.* 2. *tit. de armis, ludis* &c. Jungatur ſacra lectio, ut inſimul exemplo ſanctiſſimi Cardinalis Caroli Borromæi, pabulum animæ præbeatur & corpori, quemadmodum olim creberrimus priſcis fidelibus in conviviis pſalmorum cantus, ut ſcribunt *Cyprian. & Tertull.* primus quidem

quidem ad *Donat. ibi ; Nec sit vel hora convivii, gratiæ cælestis immunis ; sonet psalmos convivium sobrium.* Alter *in apol. cap.* 39. ubi *postquam*, inquit, *aquam manualem & lumina, ut quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere,* quicquid dicant ineptissimi recentiores castrati, indecens esse ad patinarum sonitum vocem & sonos musicos adhibere. Quæ omnia brevi *Chrysost.* expressit *homil.* 16. *in decollat.* D.Io. iis verbis : *Convivium honestate honoretur , lætitia mensæ pertingat ad pauperes Christi, familia innocentiæ tripudiet disciplina. Absit ebrietas, luxus abstat, fugetur effusio saltatricum pestis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragium mentis cum Herodiadis convivio abscindantur, ut præsens gaudium ad lætitiam perveniat sempiternam.* Damnat cantiones, scilicet vanas; cæteræ namque permitti possunt , uti jam pridem carminum Ennii, de quibus *Cic. in Bruto*, forte quia moralibus dictis scatebant ; nec non comprimit omnes luxus. Hujusmodi propterea pomparum reformationem scitè excogitavit *Sixtus V. constit.* 52. *incip. in unaquaq.* quam videre potes.

Nec unquam iis indulgendum censeo, qui veluti edocti in Metropoli illa Epicureæ Philosophiæ, quam Chrysippus olim se invenisse gloriabatur, ventri semper & gulæ addicti sese ostendunt, peculiarem quandam habentes Theogoniam. Non enim probatur convivium quod ventris tantùm delicias pro fine respicit, quocunque neglecto mentis pabulo : nec diurnum, Epulonis more , qui quotidiè splendidè, non absque maximo animæ detrimento, & civium scandalo epulabatur. Quibus conjecturis accedunt morborum pericula , quæ ex repletionibus

bus potissimùm originem sumunt, uti physicis medicorum experimentis innotescit; si enim quisque ad saturitatem exuberantem se proclivem nimium agnoscat, laudabilior erit ab epulis abstinentia Gorgiæ Sophistarum præstantissimi exemplo, qui *Luciano* teste *in Macrobio*, annum centesimum octavum egit, atque inediâ vitam absolvit: causam verò tam longæ senectutis & valetudinis esse affirmavit, quod aliorum convivia sectatus non fuerit.

Conciliat verò honestam in conviviis gratiam decens convivarum numerus, nec minor scilicet, quam olim Charites, ne in solitudinem vergat; nec Musis major, ne ordo ad confusionem migret. Hinc Ausonij carmina:

——— *sex enim convivium*
Cum Rege justum est, si super convicium est.

Et Capitolinus: *Septem convivium, novem verò convicium.* Varro apud *Gell.* 13. 11. *Plures esse non convenit, quod turba est turbulenta.* Lex Archestrati apud *Athenæum lib.* 1. 3. *Tres aut quatuor sunto convivæ, aut quinque, aut non plures, aliàs enim mercenariorum, & rapto viventium militum conventus erit.* Leges Salicæ *tit.* 45. *Vltra septem videtur turba potius convivium, unde non omnes tenentur de homicidio ibi commisso.*

Quæres pro coronide, An ex jure nostro invitatio ad prandium vel cœnam obliget, ita ut invitans præstare teneatur. Et respondeo cum distinctione, affirmativè scilicet, si ab amico invitatio fiat, ne amicitiæ seu hospitalitatis leges vel in minimis eludantur. Si verò ab extraneo, tanquam aulicum quid & curiale, minimè auctorem adstringit, ita ut ad id præstandum compelli nequeat; vulgò enim scimus quòd aulicis aliud in ore, aliud in corde consue-

consuetum. Vide *Alex. in l. si pœnam. ff. de verb. oblig. n. 4. & DD. in proëm. Decretal.* & *c. fi. de renunc.* Cætera apud indigitatos aperta sunt.

CAPVT VIII.

Ordines Hospitalarij multi. Ex Canonico qualiliter ij profluant jure.

VArias, posterioribus annis vertentibus, formas easdemque ad Christianam charitatem seu beneficentiam undiq; promovendam aptissimas præstantissima induit Hospitalitatis natura, ita ut quemadmodum vetus ille Ægypti Rex Proteus, celeberque juris Hospitalis propugnator, vanó quidem commento ad honestius atque utilius imperii sui regimen, facie persæpè mutabatur: jus nostrum veriori calculo sapientum, in plures humanitatis gradus pro eximio Reipublicæ fulcro, ac si multis cunctisque perpolitis ac brevibus viis ad eundē tenderet scopum, sapientissimè derivat. Non profectò satis majoribus fuit interpolata, nec unquam contemnenda actuum productio, nisi nobiliori quodam fœtû constantissimis habitibus ad perennes vitæ gradus perpetuò firmaretur. Quod, ut felicioribus agi posset auspiciis, meritoque intensiori, plurium subducta fuit in communi viventium voti vinculo, quod solenne appellant, libertas potentia, aliàs vaga atque indifferens: multique tunc ordines Hospitalarii seu ad perfectiorem Hospitalitatis usum, Apostolicis annuentibus decretis, instituti, de quorum origine ac profectu oportet hîc nonnihil demonstrare.

Causa, ob quam ordines ejusmodi in Ecclesiasti-ca hierarchia fuerint constituti, traditur à *Gaufredo Priore Vosiensi cap. 31. sua chronica, quæ habetur to. 2. nova biblioth. manusc.* P. *Labbe fol. 296.* ibi : *Charitate priorum frigescente Cœnobitarum exorti sunt illo tempore* (1095) *diversorum dogmatum sectatores, scilicet Templarij, Hospitalarij, Grandimontenses, Chartusienses, Cistercienses, Xenodochia pauperum, conventus Sanctimonialium, coadunationes leprosorum, & quorundam novarum congregatio Canonicorum.* Notandum verò, quòd in aliquibus Hospitalitatis tantùm inest institutum, ut Hospitalarius B. Jo. de Deo in Hispania primò erectus: aliquibus militiæ tantùm, ut Ordines S. Jacobi de Spatha, Calatravæ & Alcantaræ : aliis utrumque, ut Hierosolymitanus & Teutonicus.

Ab hospitali officio pio exordium nomenque sumpsisse monasticam B. Antonii sectam, cui pro symbolo gestamen est Togæ impressi T græci ante annum 1100. infirmorum curandorum gratiâ ex igne sacro, vulgò *Erisipila*, seu *Igne S. Antonij* tunc temporis plurimos infœliciter invadente, scribunt *Renat. Choppin. Monasticon lib. 2. fol. mihi 208.* & *Petrus Saunier in tract. de sacro Ord. S. Spiritûs in Saxia cap.* 1. quorum postremus hunc S. Spiritûs Ordinem circa idem tempus ac similibus de causis institutum suadet, de quo nos paulò pòst.

Proximi illi ætati natales fuêre militaris seu hospitalis Ordinis S. Joannis sacræ Solymorum militiæ, ut ex æra Christiana patet. De hoc *in histor.* inscripta *Gesta Dei per Francos* ita legitur : *Conquisitam verò terram per Gotifredum vir quidam Geraldus nomine Christo devotus, qui in prædicto hospitali diu serviverat, de prædicti Abbatis mandato, adjunctis sibi quibusdam honestis*

viris, habitum regularem suscepit, & vestibus suis albam crucem affigens exterius in pectore, & regularia instituta factâ solemni professione pomisit, & fratres Hospitalarij dicti sunt. In lib. verò, cui titulus *Vrbis Hierosolyma*, per plurima ante Godifredum sæcula Hospitale ibi fuisse habetur his verbis: *Hospitale publicum erat, quod Hircanus Pontifex ex pecunia, quam è Davidis sepulchro protulerat, fundavit ac dotavit, ubi peregrini, pauperes, & infirmi recipiebantur & alebantur.* Multis tamen placuit hujusmodi Xenodochium ibi fuisse; at post Titi & Vespasiani cædem minimè remansisse, undè de illius, ac ejus, de quo scribimus, idemtitate non constat, quod expungit Italicè *Commendator Marullus nelle vite de' Gran Maestri della sacr. Relig. Gieros: sub initio.* Pro certo habetur ejus hospitalis primũ Administratorem B. Gherardum fuisse, qui plurimam sacro bello hospitalemque infirmis Christianis militibus anno 1099. operam impendit, referente id *Bosio hist. Melit. lib.* 1. Ejus olim regulares milites S. Sepulchri appellabantur ex *Tusch. litt. H. conclus.* 108. *n.* 1. cujus vitæ normam etiam mulieres amplexæ sunt, extructo à Regina Domna Sanchia Regis Hispaniarum filiâ insigni cœnobio, cui contiguum inter Cæsaraugustam & Leridam, est Sixenæ Nosocomium, teste *eod. Bosio lib.* 1. & 11. *anno* 1188.

Egregiè autem hic ordo, uti diximus hospitalitatis & militiæ opus sectatur, in quo, ex nobilissimo charitatis objecto, cæteros Regulares omnes excellit, primùm namque eis commendatur hospitale pauperum obsequium, quo verè dicuntur fratres, ut ostendunt *Stat. tit.* 4. *& Innoc.* 3. *cap. licet, de Regul. cap. ex parte, de decim. & in cap. canonica. Io. de sent. excomm. Lap. in tract. de hospit. q.* 2. *Iacob. Puteus dec.*

382.n.5. F.Io. de Riochein vita Clem. V. ubi asserit, quòd hi Templarios præcesserũt. Gregor. XIV. met præ cunctis in bulla *incip. Quanta emanata 25. Iul. 1592.* ut hospitalitatem, quæ ab ipsis in Melitensi insula exercetur commendet, inter virtutes quæ Theologicæ dicuntur, charitatem principem obtinere locum fatetur, quæ in eo hospitali quod in insula Melitæ B. Pauli Apostoli, cujus in tutela est, multis celebrata miraculis ab hujusmodi ordine constitutum fuit, potissimùm elucet, & fusiùs refert *D. Ferdinand. de Escanno in Propugnaculo Hierosol. discept.1.cap.3.num.8.9.&* 10. Nec tacenda *Statut.* verba *cap.2.tit.*1. quæ F. Raymundus de Podio Magister Ordinis ita dictavit: *Ad hoc hospitalarij milites Christi hospitalitatem & militiam exercentes, exteriori veste signum crucis octogonum devota consideratione virtutibus insignitum gestant, ut interiori etiam veste, vivifica crucis signum spiritualiter deferant, dextraq; manu acutum vibrantes gladium, post multifariam eleemosynarum largitionem, gentem Mahumeteam, & qui à fide deviant, oppugnent, premant, pessundent. Quibus sanctis operibus addicti, sanctorum Martyrum militum Machabæorum pro cultu divino pugnantium exemplum saluberrimum sequi monentur.* Inde *tit. de Baiulivis* primores ejus equestris religionis dignitatum tituli: *Magnus Commendatarius, Mareschallus, Hospitalarius, Admiratus, Draperius,* & *Turcopolerius: qui Baiulivi conventuales dicuntur, quia suarum linguarum præsides existunt.* Plura vide apud *Guilielm. Tyrium lib.* 18. *cap.*3.4.5.6. *& Iacob. de Vitriaco lib.* 1. *fol.* 111.112.113. *&* 114.

Tam bonis igitur virtutum initiis plurima beneficia à Sede Apostolica promeruit celeberrimus ordo. Receptus enim sub immediata Papæ protectio-

tectione ab Anastasio IV. anno 1154. *constit. 2. incip. Christiana*: facultate munitus domum alicui religiosæ domui donandi, illique se subjiciendi *cap. inter dilectos de donation.* semel in anno in Ecclesia interdicta facere divina celebrandi *cap. cùm & plantaré §. quodsi de privil.* à decimis exemptus *cap. ex parte & cap. ad audientiam de decim.* fructus beneficiorum in absentia acquirendi *cap. exhibita extra de pœnit.* & alia plura, scilicet immunitatis ac similium.

Omnia hæc profectò hospitalitatis contemplatione. Adstringuntur nihilominus juramento, ut cùm primò ad infirmum vocentur, illum ad confessionem sacramentalem inducant, alias ultra tertiũ diem non visitent, *ex constit. Pij V. 8. Martii 1566.* quod extra hospitale non observatur per ea quæ tradit *Diana resol. 93. vers. dico 5. p. 3. tract. 4.* Et hospitale civitatis notabilis, est laicale, quia sic denominatur, etiamsi ibi pietatis opera exerceantur, habeatque locum pro missa celebranda, quia non probatur fuisse erectum auctoritate Ordinarii juxta doctrinam *Abb. in c. ad hoc enim n. 2. de Relig. dom. Barbos. de jur. Eccles. lib. 2. cap. 11. n. 38. & 80. & Rotæ decis. 3. post Tondut. tract. de Pension.* Cunctorum moderator est Hospitalarius, qui caput est ac pilerius linguæ Franciæ, qui ex antiquissima consuetudine præest in hospitali *Stat. 45. de Baiul.* Ad ejus præeminentiam nominatio quoque pertinet plurium, munia in prædicto hospitali exercentium, & singulariter Prioris, & Viceprioris hospitalis, Priore Ecclesiæ approbante *stat. 9. de hospit.* Item, approbante Concilio, scribam infirmariæ nominat *stat. 22. de Baiul.* Rursus per se met Armorarium nominat: Probi homines autem ejusdem hospitalis à magno Magi-

ſtro & Concilio eliguntur *ordinat.7. de hoſpit.* à quibus confirmatur etiam munus Commendatarii parvæ commendæ, magno Commendatario proponente *ſtatut.22. de Baiul.* Cùm ipſemet vel ejus locum tenens quotidianæ Oeconomiæ incumbere nequeant, à Concilio ad nominationem ejusdem Hoſpitalarii Eques ex quacumque lingua pro hujusmodi provincia deputatur, qui dicitur Infirmarius. Ex *ſtatut. 22. & 23. de Baiul.* accuratè excerpſit *Commendator F. Carolus Michallef.* & in lib. manuſcript. digeſſit, cui titulus *Summa Iurium Hieroſolymitanorum Equitum verb. Hoſpitalarius.* Habuiſſe hujusmodi Hoſpitalarios novemdecim millia maneriorum in chriſtianitate, ac templarios novem, cujus quodlibet, abſque gravamine, unum militem in ſubſidium terræ ſanctæ cum omnibus plenariè pertinentibus alere poterat anno 1244. ſcribit *Matth. Pariſ. hiſtor. Anglic. ſub Henrico* III. Nos verò materiam neceſſariæ eruditionis gratia plùs forſan quàm par eſſet produximus, ut inde in hoſpitalitatis incrementa meliùs animadvertatur.

Initium Teutonici inſtituti circa annum 1185. & ſi nonnulli altiùs deducant à fido ſcriptore *Io. Lud. Gotofredo in Archontolog. Coſmica* ſic remonſtratur: *Fridericus* II. *inſtante Papa Gregorio* VIII. *cùm numeroſum exercitum in Syriam duxiſſet, ut belli ſacri progreſſus promoveret, autor fuit ut hic* (Teutonicus) *Ordo inſtitueretur, & in templo atq; hoſpitio S. Mariæ Hieroſolymis collocaretur. Quem Papa Cœleſtinus* III. *ſub regula S. Auguſtini approbavit. Hi eundem cum equitibus templi & S. Ioannis ſcopum ſibi propoſuerunt, & eiusdem cum ipſis profeſſionis fuerunt, cùm nullum pœnè inter ipſos diſcrimen eſſet, quàm quòd hi atram crucem candidis palliis*

inſutam

insutam gererent. Henricus Walpotus fuit primus hujus Ordinis magnus Magister. Posteà suis scutis Rosarium adjecerunt, quod crucem supradictam ambiebat. Hinc est quòd Mariani & Crucigeri appellati fuerunt. Capta Hierosolyma cùm Ptolemaidam se recepissent, Imper. Fridericus eos transtulit in Germaniam, & in Borussia collocavit, quæ tunc Religioni nostræ inimica erat, ut eam occuparent, & Christianismo subjicerent: idq; sub auctoritate Gregorii IX. tandem anno 1279. subactâ provincia dicti sunt Teutonici & Borussiaci. Et ferè in idem concidit sententia *Petri Gregor. syntag. lib. 15. cap. 35. n. 3.* Ex quibus, & ex iis quæ in præliminar. adnotavimus origo ac destructio Templariorum satis constat, ita ut supervacaneum sit ampliùs adjungere. Quibus suffecti fuerunt, saltèm quoad bona, in Hispania milites de Calatrava, & in Lusitania milites cognomento Christi *ex eod. Tholos. ibid. n. 7. & 11.*

Inclytus non minùs olim fuit ordo Fratrum Hospitalariorum, quos vulgo *de Saxia* nominant, quorum administrationi Cracoviense commissum fuisse hospitale ab Ivone ejus urbis Episcopo scribit *Cromerus in histor. Polon. lib. 6.* cæteræque postmodum demandatæ totius Italiæ similes ædes usque ad tempora Pii Quarti, qui justis de causis à nimium libera eorum vita petitis, hospitalium curam & privilegia ab Innoc. III. IV. & VIII. Alex. III. Cœlestini. I. Bonifac. VIII. Urbano V. Clem. V. & aliis Pontificibus concessa ipsis substulit, adnotante *Steph. Bauny. in nova sua benefic. praxi disp. 1. q. 14.* At hodie in urbe, tum in valetudinario celeberrimo, tum in Orphanotrophio ac in Parthenone sedulis operibus hospitalitatis jura obeuntes, plura de

Chri-

Christiana pietate ac universali promeruerunt beneficentia.

Ordines quoque militares, nempe Sancti Jacobi & S. Lazari, similesque robur præcipuum ex hospitalitate trahunt, quam piissimè alicubi in valetudinariis exercent. S. Lazari equitibus laudatissima erat leprosorum cura, quos ex omni parte capere, & ad propria hospitalia absque ullius impedimento ducere poterant favente *Clem. IV. constit. 5. Venerabilibus*; cujus privilegia debentur Pio IV. in nonnullis à Pio V. *constit.28.* reformata. Et Gregor.XIII. *constit. 6. pro commissa* militiam hanc S.Mauritii militiæ æquissimum unire censuit. Verùm sciendum quòd militares ordines cuncti à jure profano eximuntur, de quo fusè *Choppin.* disput. *lib. 3. sacr.polit.tit. 5.* generali hospitalium reformationi minimè subjacent, iisque nihil detrahi potest, probante *Io.Wamesio cons.294.n.2.& per tot.* Eorum quoque hospitalarii sive, administratores per ordinarios ad eleemosynarum distributionem cogi non possunt ex *eod. Wames. cons. 293. n.3.* Non tamen censentur habere ecclesiastica beneficia, ideoque intestabiles videntur, nisi ejusmodi beneficia sint, ut cura animarum illis annectatur; ut scribit novissimè *And.Mendo in tract.de Ordin. militar. disquis. 15. q.2.n.23.* Suæ religionis symbolum ab iis omninò ferendum, ita ut aliquo modo peccarent, si per tempus minimum, vel per contemptum deponerent, quemadmodum in Religiosis hospitalis Regii juxta Burgos exemplificatur, quos lethaliter impingi, si per tempus quoque exiguum vice proprii symboli, enses accinctos ferrent, à quibus per institutum proprium impediuntur, tradit *Id. Mendo disquis.*

quisf.12.q.1.n.5.&plura anteà *disquisf.3.n.37.& 147.* Quòd si alia circa ordines militares perconteris, consule *Polyd.Virgil.de rer.invent. lib.7. & Tholos. syntagm. jur.d.lib.15.cap.34.p.2.* Si autem placeat videre utrùm similium ordinum privilegiis fruantur & gaudeant hospitantes eos, lege *Azeved.in l.22. & 23. tit.14. n.4.lib.6.* quem citat mihi *Gironda in tract. de privil. explicat. n.474.*

Præfatis Hospitalariis Ordinibus addi possunt Crucigeri voto peregrinationis adstricti, & in ingentem propagati messem in Germania, atque in Belgio, de quibus nonnihil *Gelenius in de Colonia Agrippin. magnitud.&c. lib. 3. Syntag. 45.* & *Vvames. prad. consf.293.num.1.* Fratres Ordinis Redemptionis captivorum Sanctissimæ Trinitatis, & similes, de quibus Italicè scribit *Io. Petr. Crescentius nel presidio Romano, overo della militia Ecclesiastica è religioni claustrali e cavallaresche lib. 2.* Alii nuper sunt in præterito sæculo proditi, scilicet Hospitalitatis & infirmis servientium Ordo à B.Io.Dei Lusitano, seposità amentià in Hospitale Granatæ à se extructo infirmis ministrante circa annum 1538. qui, quanquam potius congregatio, quàm Religio æstimandus sit ex regula S. Augustini haustus, ut Bulla Pii V. ostendit, & scribit *Navarr. consf. 8. lib. 3. de Regul. to. 1.* præcipuum hujusmodi exercet institutum, disserente fusè *Marulo in Oceano Relig. lib. 5. pag. 435.* quem sequitur, allatâ prædictâ Bullâ *P. Tamburin. de ju. Abbat. disp. 14. q. 4. n.61. vol.2.* Rursus Ministrorum infirmis congregatio, cæteris forsan utilior erecta probataque à Sixto V. *constit.25. ex omnibus, & cùm nos,* atque à Gregorio XIV. confirmata *constit. 17. illius,* ubi eorum statuta distinctè referuntur.

Camil-

Camillo Lellio fundatore, cujus unicus fuit ſcopus ægris ac decumbentibus in extremis adeſſe, omnique ope adjuvare, quod in publicis noſocomiis Urbis ipſe, cùm Tyberis maximè inundatio ſæviret, raptis etiam ulcerato crure per aquas ad S. Spiritûs conclavia ſuperiora morbo laborantibus, patravit. Nec minus celeberrima Societas Jesu, in qua pluribus benevolentiæ ſignis ab antiquis religionum fundatoribus probatis exactè Hoſpitalitatem ſervari teſtatur P. *Suarez* videndus *in tract. de Relig. to. 4. lib. 8. cap. 8. n. 8. & ſeqq. fol. 656.*

At quid immoror in commendatiſſimis Hoſpitalitatis progreſſibus apud Regulares Ordines evolvendis? Omnes loci, omne tempus, omnis virorum ac fœminarum conventus, ſi non voto præcisè, actibus tamen frequentiſſimis ratos eos habent atque imitantur.

CAPUT IX.

Quibuſnam circumſtantijs Hoſpitalitas pernegandа?

NOn equidem ita homines vincit Hoſpitalitatis jus, ut ſit ſemper cunctis æquanimiter miniſtrandum; ſive enim ex conſiliis, ſive ex præceptis tantus haud effluit rigor, quin aliquando laxari queat vel debeat. Sic in noſtra materia, juxta Epikeiæ præſtantiſſimæ virtutis dictamina, pro ſubjectis circumſtantiis temperatur, ex quibus maximè tempus, locus, & perſonæ ſuis limitationibus circumſeguntur.

Tem-

Tempus, in quo jus hospitii gratuitum denegari potest, est belli; tunc enim ex militari strepitu apud omnes ferè gentes receptum est, ut peregrinationis saltem causas reddere teneatur hospes, ad hoc ut inter amicos & hostes discerni possit, *Arumai* auctoritate *de ju. publ. to. 2. disc. 26. num.* 49. ubi recenset Didonis factum, quæ ob eam necessitatem sese ad Trojanos excusavit. Cautela verò hujusmodi ab *Aenea* traditur in *Poliorcet. Peregrini cùm in urbem accedent, arma in aperto & præ manibus ferunto, atque ea statim illis adimuntor. Hospites ne quis suscipiat, ne ipsi quidem caupones, insciis magistratibus: tum autem magistratus adnotanto apud quem, & quando peregrinus aliquis divertit. Iidem etiam quot noctibus cauponas ab exteriore parte claudunto.*

Item eveniente penuriâ, Hospitalitatis consuetudo licitè suspendi potest juxta *Concil. Turon.* disertas equidem monitiones 2. *cap.* 5. & quæ tradit *Valentia* 2. 2. *disp.* 3. *q.* 9. *p.* 9. *in fi.* ubi vult circumstantias, bonum commune, scandalique remotionem attendi: cùm Veteres quoque prudenter id interdixerint, scribente *Ammian. lib.* 14. ob formidatam alimentorum inopiam pulsos Româ peregrinos, ne indigenæ ob externorum copiam ad extrema devenirent: *Augustus* quoque, ut *Oros. lib.* 7. *cap* 3. *post Sueton. lib.* 2. notat, cum gravior Urbem annona flagellaret, peregrinos urbe pulsisse.

Locus ab hoc onere immunis est sacer: prohibentur namque Juris Canonici providentiâ hospitia in Ecclesiis exhiberi, ut *tota dis.* 42. nisi tamen causa necessitatis obesset *cap nulli d. dis. cap.* 1. *de immun. Eccles. l.* 1. *cum ibi nota. de Episc. & Cler.* & refert *Gallinius de verb. signif. lib.* 10. *cap.* 32. *n.* 32. Sed prope Ecclesias permittuntur, maximè si assiduæ

peregrinationi inserviant. Hinc est quòd patronus, quamvis consentiente Episcopo, in limine fundationis conditiones annectere valeat contra jus, non valet nihilominus Ecclesiam à se dotatam Albergariis seu hospitiis militibus præstandis onerare, cùm ipse Dominus adhuc in terra conversans ementes & vendentes etiam à limine Ecclesiæ ejecerit, in quod animadversi sunt *Ant. Bergeus*, & *Franc. Pinssonius in tract. noviss. de benef. Eccles. ad usum fori gallici p. 2. tit. de immun. Eccles.* §. 2. *n.* 3. & prius *p.* 1. §. 5. *n.* 8. Sic etiam dici potest de cœmeterio, de mœniis urbium, & de similibus, in quibus ex utroque jure aliquid religionis est observatum. Locus quoque incongruus excusare valet, ut taberna, vel similis, ubi eleëmosynarum quæstores hospitari non permittit jus Pontificium *cap. cùm ex eo* 14. *de pœnit. & remiss.*

Pro personis exquisita regula traditur ab *Arumæo ubi proximè*, quod scilicet domicilii jus, nisi cum causæ cognitione sit concedi consuetum, utrum subditus sit honestæ vitæ, vel secus; requisito quoque ejus rei testimonio; si enim fugitivus sit, nec cum gratia prioris Magistratûs discesserit, vel propter delictum sedem mutet, ut tum non recipiatur, quia hæc omnia dolum ac fraudem sapiunt. Item hospitio uti indignissimi privandi sunt Grassatores, piratæ, nocturni agrorum depopulatores, circumforanei, fucati, vagi milites, & subditi Cingaris, quos tanquam Reipublicæ hostes damnat Jus Civile, signanter in *l.* 1. & *l.* 2. *C. quan. lic. un. sing. jud.* & *Bart.* consentit acutissimis fundamentis in *l. capital.* 28. §. *famos.* 15. *n.* 1. & 2. *de pœn.* Quibus addo Parasitos, edoctus à *Caton. de re rustic. cap.* 5. ubi ad Villicum: *Parasitum*, inquit, *ne quem habeas.* Similiter hospitari non possunt corporis sepulti effossor aut expoliator ex *le-*

gib. Salic. cap. 57. iique, quibus ut scelestis sacrificiis est interdictum ex *ijsd. leg. cap.* 59. id est, aquâ & igne interdicti, quemadmodum explicat doctissimus Scholiastes *Bignonius*: quâ ratione hospitium perduelli olim præbitum mulctæ causam testatur *Ammian. Marcell. lib.* 30. dum *Agens*, inquit, *procul à strepitu, mulctatione bonorum adflictus est à Constantino hoc nomine, quod civili flagrante discordiâ hospitio diceba-tur suscepisse Magnentium, per agrum suum ad proposita festinantem.* Banniti etiã hospitatio de jure communi ex vulgatis prohibita est, videtur quid attentatum in publicam Justitiam seu Principis placitum: undè ex *legib. Sueciæ Provincial tit* 8. pluribus marcis juxta tempus hospitationis hospitator puniendus est, nec excusatur, quàm 12. virorum juramento, quòd bannitum hospitio non receperit, aut nutriverit, vel quòd ignoraverit esse bannitum. Aut in jure communi cibi simplex præstatio, ignoratâ personæ qualitate, excusat ex *Hippol. Riminald. cons.* 635. *n.* 35.

In Clericis tamen nullum valet absque commendatitiis Episcopi subterfugium, ita ut à nullo alio recipi valeant ex sacris resolut. *Concil. Apostolor. c.* 33. *Concil. Laod. c.* 41. *&* 42. *Concil. Taurinen. c.* 6. *Calced. cap.* 20. *Epaun. c.* 5. *&* 6. & *Lucen.* 2. *c.* 34. maximè in Clero. *Tolet.* 17. *c.* 5. *Vienn. c.* 12 *Nicen.* 2. *c.* 10. *Aquisgran. sub Ludovico c.* 51. *&* 52. *Agathen. c.* 58. *Aurelian.* 3. *c.* 4. *& de Clericis peregrinis. c. ult. dist.* 71. *cap. primatus. cap. nullum* 19. *q.* 2. & *cap. alienum.* Idque sub pœna excommunicationis in Episcopo recipiente *Zacharias ep.* 7. *c.* 17. & in quocunque alio absque licentia eo modo ipsum recipiente *Concil. Apostol. c.* 16. & *Calced. c.* 20 ex regula universali, quòd alieni invito Episcopo nequaquam sunt recipiendi 19. *q.* 2. *cap. alienum.* Nullibi autem Clerici crimi-

peregrinationi inserviant. Hinc est quòd patronus, quamvis consentiente Episcopo, in limine fundationis conditiones annectere valeat contra jus, non valet nihilominus Ecclesiam à se dotatam Albergariis seu hospitiis militibus præstandis onerare, cùm ipse Dominus adhuc in terra conversans ementes & vendentes etiam à limine Ecclesiæ ejecerit, in quod animadversi sunt *Ant. Bergeus*, & *Franc. Pinssonius in tract. noviss. de benef. Eccles. ad usum fori gallici p. 2. tit. de immun. Eccles.* §. 2. *n.* 3. & prius *p.* 1. §. 5. *n.* 8. Sic etiam dici potest de cœmeterio, de mœniis urbium, & de similibus, in quibus ex utroque jure aliquid religionis est observatum. Locus quoque incongruus excusare valet, ut taberna, vel similis, ubi eleëmosynarum quæstores hospitari non permittit jus Pontificium *cap. cùm ex eo* 14. *de pœnit. & remiss.*

Pro personis exquisita regula traditur ab *Arumæo ubi proximè*, quod scilicet domicilii jus, nisi cum causæ cognitione sit concedi consuetum, utrum subditus sit honestæ vitæ, vel secus, requisito quoque ejus rei testimonio; si enim fugitivus sit, nec cum gratia prioris Magistratûs discesserit, vel propter delictum sedem mutet, ut tum non recipiatur, quia hæc omnia dolum ac fraudem sapiunt. Item hospitio uti indignissimi privandi sunt Grassatores, piratæ, nocturni agrorum depopulatores, circumforanei, fucati, vagi milites, & subditi Cingaris, quos tanquam Reipublicæ hostes damnat Jus Civile, signanter in *l.* 1. & *l.* 2. *C. quan. lic. un. sing. jud.* & *Bart.* consentit acutissimis fundamentis in *l. capital.* 28. §. *famos.* 15. *n.* 1. & 2. *de pœn.* Quibus addo Parasitos, edoctus à *Caton. de re rustic. cap.* 5. ubi ad Villicum: *Parasitum*, inquit, *ne quem habeas.* Similiter hospitari non possunt corporis sepulti effossor aut expoliator ex *le-*

gib. Salic. cap. 57.iique,quibus ut scelestis sacrificiis est interdictum ex *iisd. leg. cap.* 59. id est, aquâ & igne interdicti, quemadmodum explicat doctissimus Scholiastes *Bignonius*: quâ ratione hospitium perduelli olim præbitum mulctæ causam testatur *Ammian. Marcell. lib.* 30. dum *Agens*, inquit, *procul à strepitu, mulctatione bonorum adflictus est à Constantino hoc nomine, quod civili flagrante discordiâ hospitio diceba-tur suscepisse Magnentium, per agrum suum ad proposita festinantem.* Banniti etiã hospitatio de jure communi ex vulgatis prohibita est, videtur quid attentatum in publicam Justitiam seu Principis placitum: undè ex *legib. Sueciæ Provincial tit* 8. pluribus marcis juxta tempus hospitationis hospitator puniendus est, nec excusatur, quàm 12. virorum juramento, quòd bannitum hospitio non receperit, aut nutriverit, vel quòd ignoraverit esse bannitum. Aut in jure communi cibi simplex præstatio, ignoratâ personæ qualitate, excusat ex *Hippol. Riminald. cons.* 635. *n.* 35.

In Clericis tamen nullum valet absque commendatitiis Episcopi subterfugium, ita ut à nullo alio recipi valeant ex sacris resolut. *Concil. Apostolor. c.* 33. *Concil. Laod. c.* 41. & 42. *Concil. Taurinen. c.* 6. *Calced. cap.* 20. *Epaun. c.* 5. & 6. & *Lucen.* 2. *c.* 34. maximè in Clero. *Tolet.* 17. *c.* 5. *Vienn. c.* 12 *Nicen.* 2. *c.* 10. *Aquisgran. sub Ludovico c.* 51. & 52. *Agathen. c.* 58. *Aurelian.* 3. *c.* 4. & *de Clericis peregrinis c. ult. dist.* 71. *cap. primatus. cap. nullum* 19. *q.* 2. & *cap. alienum.* Idque sub pœna excommunicationis in Episcopo recipiente *Zacharias ep.* 7. *c.* 17. & in quocunque alio absque licentia eo modo ipsum recipiente *Concil. Apostol. c.* 16. & *Calced. c.* 20 ex regula universali, quòd alieni invito Episcopo nequaquam sunt recipiendi 19. *q.* 2. *cap. alienum.* Nullibi autem Clerici crimi-

nosi *Concil. Meldense cap.* 50. Quod limitatur tamen, si migrent ad summum Pontificem *cap. fraternitati de Cler. non resid.* Olim Transmarini debebant peragrare muniti literis quinque Episcoporum, aliàs non recipiendi, ut constat ex *Anastas. I. ep. 1. cap. 2. dis. 98. cap. nullus. cap. Transmarinos* & *cap. Afros.* Et de cõsuetudine laudabilissima litterarum *Hospitalitatis* in tota rei Ecclesiasticæ serie, consule *Gabassutium in Notitia Concilior. pag.* 277. ex quo facilè est praxim discere Clericalem pro hospitalitate promerenda.

Cùm autem ipsis quæcunq; cum fœminis societas fugienda sit, earum hospitatio erit omninò prohibita. Sic enim *Hieron. ad Nepotian. ep. 2. Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquã mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites*: & ferè innumera apud Patres. Quæ tamen charitate, seu necessitate urgente juxta S. Pachomii monitum *in reg. artic.* 29. temperanda videntur, dum *Si sæculares homines*, inquit, *aut debiles, aut vasa infirmiora, id est, mulierculæ venerint ad ostium, suscipient singulos in diversis locis juxta ordinem Præpositi & sexûs sui, præcipue fœminas majori honore & diligentiâ curabunt cum omni timore Dei, & locum separatum ab omni virorũ vicinia eis tribuent, ut nulla sit occasio blasphemãdi. Quòd si ad vesperas venerint, eas abjicere nefas est, sed accipient, ut diximus, separatũ locum & clausum cũ omni disciplina & cautela, ut grex fratrũ liberè suo officio serviat, & nulli detur offendiculũ detrahendi.*

Ex eodem Jurium fonte superiùs explicatis, Hæretici Excommunicati, Lenones, Scurræ, Citharœdi, cæteriq; infamiâ quacunq; infecti adjungentur; si enim necessitudo cum iis haudquaquam permittitur, jus per consequens Hospitalitatis interdicetur.

ABB. JO. BAPT. PACICHELLII COMMENTAR. DE IVRE HOSPITAL.

LIBER III.

De Hospitalium Constructione, Privilegiis, ac Regimine.

CAPVT I.

A quibus & quomodo construi hodie valeant Hospitalia.

HOspitales ædes quam undique Reipublicæ congruant, sapientum ullus invenitur, qui domi forisque satis no nagnoſcat ac fateatur. Cùm autem in praxi dubiorum plurimum quoad illarum fundationem jure sartam ac regimen occurrat, ad ea pedetentim dilucidanda deſcendimus.

Nominis diverſitas rei profectò alterationem non patitur. Hinc eſt quod Hoſpitalis nomini, tum eleëmoſynariæ, tum leprosariæ & ſimilia loca, juxta variam ac multiplicem Regionum conſuetudi-

nem adhæreant,quia cunctis idem videtur esse effectus ut *arg.Clem.per litteras de presb.ibi de Xenodochiis*, arguunt. *Genuens.in praxi Archiep.cap.17.& Pyrrh. Corrad.in praxi dispens.Apost.lib.8.cap 6.n.29.*

Limitatur hæc doctrina in pœnalibus,quæ ad hospitia ædium nomen transvolare minimè sinunt: & inde est quod offensus in hospitio punitionem non exspectat quemadmodum statutum de offendente in domo sanciverat, fuse probant *Ricc. in praxi for. Eccles.dec.652.Cespedes de exemp.Regul.dub.6.*ex principiis Tusch *conclus.619.n.34.litt.D.Farin. in fragm. crimin.p.1.ead.litt.n. 232. & Barbos. de appell. verb. utriusque jur.signif.verb.domus 82.n.4.*Sic Regularium hospitia in ædium nomine haud quaquam contenta,utpote temporalia I.C.respondit *in l.non aliter ff. de leg.3* ubi verba legis in propria significatione intelligi debere, & clarius *Sesse.de inhib.cap.4.§.5.n. 19.& Barbos.axiom.222.n.4.* Nec prohibitioni fundandi monasteria accedere hospitia ex præfatis consideravit*Frances deEccles.cathedral.cap.29.n.*130 Sed loca ad hospitalitatem fundata re ac nomine inter se differre notat *Lapus n.* 14. & nos in *seq. lib.* satis abundè probare decrevimus.

De facultate hospitalem domum erigendi nullatenus ambigimus,quia cuilibet, opibus etiam infra summum fulto,favorabilis existit; ita ut etiam si laicus sit , intra proprios lares laudabilissimum hoc hospitalitatis exercitamentum introducere pro libito valeat, vel domum fiendam sive ad tempus , sive in perpetuum ad id deputare eo prorsus modo quo eleëmosynas distribuere vel similia charitatis opera absque ullo Superiorum consensu exercere sibi non est inhibitum.*Tex.in cap.1. de empt.*

&

& vend. Butr. cap. ad hac de relig. dom. n. 3. & ibi Panormit. n. 1. 3. & 4. Greg. Lopez p. 1 tit. 12. l. 1 vers. hospitale. Bald. l. orphanotrophos C. de Episc. & cler. Lapus d. tract. n. 10. Turrecrem. in can. de monach. n. 2. 18. q. 2. Lotter. de re benefic. lib. 3. q. 5. n. 26. Sanchez consil. moral. lib. 6. cap. 9. dub. 7. n 5. & 7. in quo eam facultatem, ad conficiendum contigua sibi proximitate oratorium, amplificat: & sequitur *Illustriss. Fagnan. in cap. ad hac de Relig. domib. n. 2.* & *Franc. Marc. decis Delphin. to. 1. q.* 1010. & 1020. *Lucas* verò *Dacherius to. 1 fol. 236.* ita scribit: *quævis Ecclesia & quodvis monasterium habeant hospitale pro pauperibus peregrinis. Ei præficiatur clericus, Assignentur proprii proventus. Peregrinis laventur pedes. Ædificetur in loco commodo*, quæ ex Ecclesiasticis authoritatibus desumit. Eodem modo, nullâ hospitalis fundationis mentione facta potest quis relinquere domi suæ lectos, vel commendare ut ibi pro hospitibus habeantur, famulumque pauperum receptioni ac ministrationi teneri *id. Lapus* meminit *n.* 13. ubi casu hoc, veluti pium legatum, Episcopi executioni mandatum censeri, qui ad præfatorum præstationem poterit hæredem cogere: Infra quinquennium scilicet; vel si neglexerit, infra annum à die monitionis, quo tempore absolvi debet per notata ab *eod. Lapo n.* 102. & 103.

At hoc modo hospitale erectum, religiosum nec publicum erit, sed profanum & laicale, nec immunitate Ecclesiastica vel Episcopi jurisdictione gaudebit, ideoque ab ipsomet auctore ad usus profanos reduci, vendi, ac donari poterit *Sanch. ubi supra n. 5.* jura dicentia non posse fieri absque auctoritate Episcopi ut sit ecclesiasticum explicans, secus autem ut profanum, & si oratorium adsit, in eo cele-

brari non posse quam ejusdem Episcopi consensu accedente, ut *ex cap. unicuiq; de consecr. dis.1. Panormit.* tuetur *d. cap. ad hac*; & sententiam amplectitur *Sylvester verb. hospitale q.2. cum aliis summistis*, & latius *Fagnan. in to. pracit. cap. ad hac*, in quo nova ex sacris Rituum & Concilii Tribunalibus decreta recenset. In dubio verò præsumi absque Ordinarii placito erectum *Magonius* decisum refert Florentiæ inter suas *decis.61.*

Ad quod pium opus obeundum invitant jura fideles Christicolas, dum plura indulta olim fuerunt, ut in casu militis cujusdam Ecclesiarum decimas detinentis, cui Innoc. III. permisit, quod ex ipsis hospitale conficeret. *Id. lib.3. epist.93. & 147. & lib.4 ep.9.* hodieque bona omnia, sive mobilia, sive immobilia alienari (quocumque proveniant modo) ratum habent, quia casu hoc non ambulant hospitalia pari passu cum Ecclesiis, cum deputentur tantum bona ejusmodi pro pauperibus sustentandis, quorum fructus sibi rectores non acquirunt: & exemplificatur egregiè à *Lapo n.63.* in religiosis mendicantibus, qui bona immobilia capiunt ut vendant, sibique dum ea retinere non possunt, de pretio provident. Quod si Testator met, post mandatum ut in domo sua hospitale fieret, eam alienet, aliamque alio emat tempore simpliciter, ipsa in voluntate perseverare, ut empta domus substituatur pro hospitali equidem censebitur, ratiocinante *Mandell. de Alba cons.36.n.2.* In dubio autem, utrum domus fideicommisso subjecta possit pro hospitali construendo distrahi vide *Merend. controv. lib.17. cap.19. to 3. à n.6.* Sed si in postremis tabulis jussum fuerit in præciso tali loco hospitale fundari pro pauperibus, voluerunt nonnul-

nulli quod, examinatis circumstantiis, ad melius esse Religiosorum Ecclesia construi possit, apud *Lap. in d. clem. quia contingit*, in quo vix ego subscriberem nisi essemus in loco in quo Religiosi pro Divinjs ministrandis deficerent, alias melius consultum foret pro publica utilitate pium illud pauperum refugiũ. Propterea vigilandum est quam maxime Commissariis atque Executoribus, quibus potius quam hæredibus hujus generis erectiones à mortuis fidelibus demandantur, ut scripsere *In flore testam. Roland. rubr. 8. n. 3. & 4. & Bursatt. consj. 226. n. 65. vol. 3.*

Non tamen publicum hospitale in capella seu paræcia alterius, invitâ Ecclesia antiqua erigi tolerabitur, quo casu Ecclesiarum nomine veniunt hospitalia, aliàs enim ratione præjudicii, quod sive ex oblationibus, sive ex aliis non communicandis novo ædificio privilegiis poterit ab Episcopo destrui, & ad pristinam formam referri. Ita post *Abbat. Lap. ibid n 35.* quia fortasse vetera aliorum jura satis superque probata ac recepta, sub novi alicujus prætextu etiam laudabili, perturbare nemini fas est. Et quòd intra limites alterius paræciæ requiratur prævius Parochi consensus, dixit *Franc. Marc. decis. 125. n. 6. p. 2.*

Cautela igitur, Hospitalitatis jure perpetuo vincire cupientibus voluntatem, duplex erit. Prima, ne fundatio imperfecta jaceat, id est contra canones citra Episcopi consensum per ea quæ *Bursatt.* tradit *pracit. consf. n. 133. & seq.* Secunda, ut annua præstatio, veluti dotale pignus, in alimentum & subsidium hospitali domui constituatur, ponderatis judicio Episcopi circumstantiis pro pauperum cura sive in lectis, sive in pharmacis, & ministrorum alimentis

loco & tempori singulariter aptatis ex doctrina *eiusd. Lapi n. 38.* Cùm absque necessario pecuniæ nervo humana cuncta etiam validissima paulatim ruant, ultimamque destructionem, infausto quodam fato, minentur ac patiantur. Quibus, ut prudentiùs in fœlicissima Archidiœcesi cautum foret, hospitalium origines, titulos, instituta in marmorea tabella incidi, locoque aliquo illustri ad perpetuitatem collocari *in constit. Synod. Mediol. tit. de pior. loc. n. 37.* Piissimus ac sanctiss. Carolus Borromæus sancivit.

CAPUT II.

Circumstantiæ penduntur, ex quibus Hospitale pius locus nuncupetur.

QUæ ex pietatis causa oriuntur, proculdubio pia opera sunt; Non tamen locum iis deputatum pium dici simpliciter permittunt Doctores, ad hoc enim aliquid ampliùs requiritur. Præcipua conjectura favens publicitas est, quâ si hospitalitas servetùr, locum omninò pium efficiet. Est opinio satis rationabilis *Trentacinqu. de rescr. res. 3. subn. 7. § pro qua conclusione vers. & ego credo* ad quod valde conducere si sit campana elevata, deducit *Archidiac. ex cap. nemo n. 3. vers. ubi autem dubium de consecr. dis. 1.* Privatum quoque dicitur pium mortuo patrono. Sic *Paul. de Castro cons. 167. n. 4. in fin. lib. 2. Gabriel comm. conclus. tit. de pia causa conclus. 2. n. 22 vers. in contrarium. Menoch. de recuper. remed. 15. n. 22. 23. 33. & 37.* & de communiori. *Fagnan. in cap. ad*

hac

hac de Relig.dom. n.55. quicquid astruant alii, quia hoc à sacro Romanæ Rotæ auditorio resolutum patet *dec.248.n.22.p.11.rec.* Et de constitutis absque Episcopi beneplacito affirmant *Io. Maria & Iacob.de Riminald.consf.435.n.25.* cum *Hippol.Riminald.* scripserit iis potiùs nomen pii loci, quàm Ecclesiæ convenire *cons.698. n.26.* Rursus fraternitati laicali annexum hospitale, pius locus nuncupabitur; eique uti pio loco hæreditatem relinqui posse pro Dei amore, quanquam fraternitas ipsa pius locus non censeatur, vult *Capra cons.54.n.14.* Et in terminis confraternitatis sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum Romæ, cujus hospitale annexum pius locus ac religiosus existimandus erit, egregia extat *decis.eiusd.Rota* scilicet 485.*p.4.tom.2.n.25.* ubi plura, confirmata coram *Durano dec.* 130. Similia prænarratis loci pii signa videre est, etiam quoad præsumptiones ac juris favores apud *Mascard. de probat.tom.2.conclus.869.Buccaferr.cons.81. Gabriel. conclus.2. lib. 6. & Fontanell.decis Cathalon.* 110. & 331.*per tot.* Semper tamen, exceptis quæ innuimus, Episcopalem auctoritatem, sive in limine fundationis, sive post eam Hospitalis constructioni pernecessariam existimo, ut præclarissima piorum locorum ibi floreant privilegia, quemadmodum contra *Tusch.tom.4.litt.H.concl.*158.& 163.& *DD.apud Mantic.lib.25. de tacit. & ambig convent.tit.6.n.69.* acriter disputant, nec ingloriè concludunt *Valasc. cons.105.n.44. Gabriel commun. opin.tit. de pia causa conclus.2.pag.357. Gutierez canon.lib.1. cap.35. n. 14. Sfort.Odd.de in integ.restit.q.3.n.45. & pluribus in locis doctiss.Tiraquell.*

CA-

CAPUT III.

Hospitale quandonam laicale sit censendum vel ecclesiasticum: & de utriusque discrepantia.

MAxima indubiè versatur discrepantia inter laicale atque ecclesiasticum hospitale: maximi quoque id est momenti, ne jura cujusque peculiaria, quod absurdissimum, inter se quocumque modo mixtione spuriâ alterentur. Pluribus in hoc rationibus hospitalis qualitas vel natura offertur consideranda, cùm ex nominis tantùm significatione privatum & laicale absque dubio præsumi Auctores putent à Rota Romana relati *inter rec. dec. 268. n. 4. p. 3.* & *n. 5. &* 10. etiam secutâ ejusdem desertione, quasi laicalitatis personam non exuat: idque adversus *Trentacinq. var. resol. de rescr. res. 4. n. 7.* qui forsan ad melius esse fundationem præsumi asseruit Episcopi voluntate suffultam.

Nec juvat si missæ ibi celebrari sit consuetum, quia remanet retento eodem themate laicale per varias *prad. Rota decis.* nempe 106. *n. 6. p. 2. divers. & 268. n. 5. p. 3. rec. cit.* atque in *Melevitana bonorum* 10. *Febr. 1651. coram Reverendiss. Meltio in* §. *nec obstat.* Et interdum in privatis oratoriis celebratio publicitatem loci non efficere probat ex tex. *Fagnan. in cap. patentibus de privileg. n. 3.* prudenterque consentit noviss. auctor *Conciol. resol. crimin. 2. verb. Immunitas ecclesiastica n. 5.* contra *Menoch. præs. 79. lib. 6. n. 3. Mascard. de probat. concl. 869. n. 1. & seq. lib. 2. & Barbos. de Episc. alleg. 75. n. 5.* minùs in eo rectè arbitrantes

tes. Quia consensus Episcopi intrinsecè tanquam necessarius character inhærere in ipsomet fundationis limine debet, ita ut ex post facto insufficientem esse nonnullis visum fuerit, inter quos enumero *Crespium de Valdaura observat. illustrat. decis. 91. n. 71. Suarez advers. Reg. Angliæ lib. 3. cap. 5. n. 8. & prim Basil. de matrim. lib. 5 cap. 12. §. un n. 11. & 12.* atque *Escobar de pontific. & Reg. jurid. in stud. general. cap. 21. n. 53.* quod tamen non approbo, satis enim videtur aliquando sufficere ut prædictus accedat consensus. Et pro regula religiosæ qualitatis requisitæ moneo, ad constituendum locum religiosum & sacrum diversum quid ex jure canonico, quàm ex Cæsareo expeti: quia per hoc locus fit religiosus, quanquam non sacer si mortuus inferatur etiam in solo alieno, ut patet ex *l. 2. C. de relig. & sumpt. funer. atq; instit. de rer. divis. §. religiosum.* qui hujusmodi per extumulationem esse definit *l. cùm in diversis ff. eod. & l. cùm loca:* At de jure canonico *fit sacra vel religiosa terra Pontificis Auctoritate, non ex eo quòd mortuus infertur ad locum* ut inquit *gloss. fin. c. in ecclesiastico 13. q. 2.* & deducitur ex *cap extra de relig. domib.* DD. adprobata sententia refert *Fagnan. in cap. ad hac de relig domib. n. 4.* Et *Menoch.* apertis verbis hospitale secularium appellat, cùm absque auctoritate Pontificis est erectum *conf. 1023. n. 8.* intelligitur Pontificis vel Episcopi, cujus auctoritas ab uno in alterum influit. Sequitur *Rota dec. 30. n. 8. p. 2. rec.* nec non *post Tondut. de pensionib. dec. 58. Melius observat. & addit. ad Castill. de aliment. cap. 7. n. 22. usq; ad 25.* & novissimè *Ioseph Rosa consult. 10. n. 16.*

Rursus à laicis gubernatum dicitur laicale. *Gloss. in d. cap. ad hac de relig. dom. Moneta de commut. ult. volunt.*

lunt.cap.4.n.25. & 26. asserens hanc distinctionem inter locum pium & ecclesiasticum vigere, ut scilicet respectu primi operum piorum exercitium sufficiat, quo verò ad secúdum erectio requiratur facta Ordinarii vel Pontificis auctoritate. *Rota in Melevitana bonorum* 10. *Maij 1652. coram Meltio* quæ impressa est *post Melium dec.72.n.13. & Magon. decis. Florent.61*. Et si Episcopi auctoritas cesset, non appellanda propriè hospitalia, sed domus ad hospitalitatem fundatas plures affirmant, & signanter *Roman.consil.477.n.15.vers.fin. & nuper Antonell. de loco legali cap.3 n.12.lib.1.*

Debent autem ad sacrum constituendum signa loci sacri apparere, quod idem ad ecclesiasticum applicant Doctores. In terminis adest *Franc. Marc. dec.Delphin.tom.1.q.1019.n.2.& Magon.d.dec.61.* qui si ecclesiasticus non sit, pium nihilominus astruit remanere. Quòd si sub alicujus Sancti invocatione seu nomine institutum fuerit, ibi celebrentur Divina, sint sepulturæ vel cœmeterium, in eo baptizetur, recipiat decimas, collectas non solvat, de quibus conjecturis fusè *Roman.consil.477. & Menoch. de præsumpt.lib.3 præs 150.à n.50.* aut ab Episcopo visitari permittatur, vel ad ipsum Rectoris pertineat deputatio, aut si à Papa impetretur, vel aliquis jus habeat ad illud præsentandi, in omnibus hisce casibus publicum præsumetur ac religiosum. Ita *Bald. in auth.hoc jus porrectum n.2.C. de sacros. Eccles. Roman. consil.477.n.8. & seq. Calder. cons. 4. vers. item institutio de Relig.dom. & Rota dec.725.p.1.divers.* subjungens quòd privatum aut prophanum, si Rectoris institutio ad laicos pertineret, censeretur. In terris Acatholicorum à Principis cõnsensu, quem in suo terri-

territorio habent loco Episcopi, fundationem & qualitatem hospitalium pendere scribit *Fritsc. in cit. diatriba cap. 5. n. 12.* verba referens pro fundamento injustæ illius (proh dolor!) pacis Monasteriensis.

Est etiam prophanum si Episcopus nullam in eo per quodcunque tempus jurisdictionem exercuerit, ut ex doctrina mox relata planum fit, & fusiùs confirmat *Ciarlin. controv. for. 530. lib. 3. & cap. 116. vol. 1.* Quòd si plures auctoritates, ac similes differentias nancisci placuerit, fontes indigitabo apud *Ansald. in suis oper. Eugen. cons. 88. vol. 2. Afflict. decis. Neapol. 67. & Paul. Melium observat. 85.*

Inter conjecturas loci Ecclesiastici, præter narratas est illa appensarum supra ædificium campanarum ex *Sperell. decis. 51. num. 19.* & *Grat. Contrio discept. caus. 5. n. 2.* Item non vulgaris est possessio ac temporis diuturnitas, quemadmodum scripsit *Maranta p. 3. resp. 35. num. 27. 28. & per tot.* Ad quod plurimùm conducit ultimus status teste *Seraphin. decis. 1103. num. 5. & 6.* Sed non impedit quin sit de jurepatronatus laicorum, cùm jus patronatûs admittit, nec non præsentationem ad formam *cap. Clem. nostra quia contingit*, ut discurrit *Id. Ciarlin. controv. to. 2. cap. 212. num. 43. & per tot.* & reperitur decisum à Rota inter *divers. dec. 122. num. 5. 6. & 7. p. 2.* Unde ex gubernatoris aspectu plurimùm inferri posse ad loci hujusmodi qualitatem fateor, quia si à laicis regitur, & aliàs auctoritate ordinarii minimè probetur erectum, laicale, ut diximus reputabitur, & adjungo binas sacræ Rotæ decisiones, scilicet *268. num. 3. p. 3 & 248. num. 18. p. 11. rec.* quemadmodum per virum religiosum & re-

gularem si fuerit ministratum, regulare censebitur. Rota etiam *in rec. dec. 201. num. 3. p. 1.* & coram *Pania dec. 1466. num. 3.* Si verò Summus Pontifex ædes hospitales in B. Petri proprietatem susceperit, haud ambigendum, quin Ecclesiasticum sit, *cap. cùm secundum 16. de preb. Navarr. de reddit. Eccles. q. 1. monit. 18, num. 2 & mon. 46. num. 3 atque Conciol. jam cit. alleg. forens. 35. num 9.*

Nec quicquam Testatoris placitum quandoque valet pro natura hospitalis judicanda, quia etiam ipso vel alio, per quem extructum fuerit, invito, fieri potest locus religiosus atque Episcopo subjectus. Patet ex textib. *cap. de Xenodoch. de Relig. domib. cap. sic quidam. & cap. noverint* 10. *q.* 1. & Doctoribus, qui ad longum materiam enucleant, præsertim *Calderin. cons. 1. de Relig. dom. Felin. cons. 45. n. 5. Alvar. Valasc. consult 105. n. 56. Flamin. Paris. de resign. benef. lib. 7. q. 6. n. 2. Loffred. cons. 3. à n. 22.* & *Valenzvel. to. 1. cons. 58. n. 11.*

Discrepantia in iis neque est modica, quia Ecclesiastico sive auctoritate Episcopi constructo, eximia Ecclesiarum competunt privilegia, earumque dispositione includitur. *Velasco* fusè *in tract. de privil. pauper. p. 1. q. 28. n. 20.* Alias Ecclesiæ nullo modo æquiparari cessantibus iis solemnitatibus post *Castr. cons. 5. vol. 1.* firmat *Fermosin. ad cap.* 10. *Ecclesia S. Maria, seu tract. de legib Eccles. cap. 20. num. 8.* Hinc autem est quòd Rectores laici, nempè hospitalis absque Episcopi consensu extructi, ad judicem sæcularem trahi possunt, quod in Ecclesiasticis secus est, ut latè *Duard. in bull. cœna lib. 2. can. 15. q. 7.* Et quando non est merè laicale, tenebitur hospitalis domus ad seminarii taxam, & forsan ad similes

col-

collectas, quod hujusmodi tamen, ex solutione per 30. annos facta, præsumitur, ita ut compelli ad solvendum Administratores tunc possint. Sic resolutum à Sacris Congregat. inclytæ Urbis, præcipuè *in una Tudertina 1. Novembris* 1644. *Pignatell.* testatur novissimè *consult. canon.* 294. & 296.

CAPUT IV.

Hospitalia num dici queant Ecclesiastica beneficia, & qualiter in Titulum, Ministerium vel Feudum concedenda?

EX collationis forma sedulò considerata, ferè integra propositi dubii pendet resolutio. In ea frequentissimæ voces sunt, *conferre* ipsum, & *committere* : quarum prima quid perpetuum & naturæ beneficii proportionatum, præsefert : altera verò temporale, in simplici ministerio sive officio cum dignitate, vel absque hujusmodi præeminentia restrictum, quod ex longa digestione *Lapi in tract.* sæpè *cit.* colligitur *num.* 23. In qua hypothesi plures equidem diametrales conciliantur sententiæ, maxime illæ duorum neotericorum, scilicet *Anton. Bengei*, & *Franc. Pinssonij in tract. de benefic. Eccles. ad usum fori Gallici cap.* 4 § 31. *num.* 3. & *seqq.* qui ex *Staphilao de literis gratiæ in forma quinta expectativar. Rota decis.* 261. & 584. in *antiq.* & *Putei decis.* 255. *num.* 2. concluserunt, hospitalia non esse beneficia, quamvis reditibus Ecclesiasticis ditentur, nec ulli in titulum beneficii concedi posse, quod ex sequentibus patebit: & remanet veritati consonum hospitale, nisi in favorabilibus, beneficii nomine includi

Clem. 2. de prab. & dignit. *Lotther.* probat *de re benefic. lib. 3. q. 6. n. 8* qui id exemplificat in casu *Constitutionis Gregorij VIII. de publicand. resignat.* quæ locum obtinet in hospitali, tum concesso in beneficii titulum, tum in administrationem commisso. *Rota* id censuit *dec. 668. n. 2. p. 4. divers.* & *Paris.* explicat abundè in *tract. de resign. benef. lib. 11. q. 3. ex n. 43.* Hinc est quòd non vacant, & supplent negligentiam damnosam beneficiis: neque à legatis Apostolicis conferuntur. *Glossa in Clem. per literas*, & *Lapus n. 44. & 45.*

Debemus itaq; mentem nostram hîc distinguendo reserare. Aut ex sui primæva institutione hospitalia in titulum conferri Clerico sunt consueta; & beneficia dicentur. Sic scribunt *Garz. de benefic. p. 1. cap. 2. Renat. lib. 3. de sacra polit. tit. 5. num. 2. ad margin.* & *Fagnan. in cap. cum pridem num. 138. de pactis*; quod tamen per institutionem caveri, & nisi per electionem de Rectore sit providendum ex *Concil. Trid. sess. 25. cap. 8. Nicol. lucubrat. canon. lib. 3. tit. 26. num. 2. & 3.* Ratio est, quia ubi jus viget exigendi reditus ob sacrum ministerium authoritate Ecclesiæ constitutum, ibi est beneficium, quod hospitalis domus ab Episcopo & fundatoribus prorsus obtinet, ex ratiocinio *P. Stephan. Bauny in nova praxi benefic. disp. 1. q. 14.* Aut laicis, vel quoque Clericis administranda tantùm committuntur, & beneficia non sunt; deficit enim necessarium beneficii requisitum, scilicet perpetuitas, cùm administratio sit quid temporale, ut statim demonstrabimus. *Id. Bauny.* & vide *Navarr. cons. 1. lib. 3. de Relig. dom. vol. 1.* & *Franc. Marc. decis. Delphin. 274. num. 3. p. 2.* Et clariùs hospitale beneficii appellationi accedere, quan-

quando in titulum, non in administrationem concessum fuit, dicunt *Marescott. lib. 1. var. res. cap. 3. Rubeus singul. to. 1. ad Gips. 246.* & *Merlin. dec. 169. nu. 5.* Si verò æquè principaliter sit annexum seu unitum Ecclesiæ, tunc beneficii seu Ecclesiæ appellatione comprehendi voluit *Rota dec. 500. num. 10. p. 4. to. 2. rec.* quemadmodum est in casu denominationis hospitalis S. Andreæ, quo jus hospitalis denotatur esse Ecclesiæ prædictæ, ita ut & Ecclesia sit caput, membrum autem hospitale per *decis. 254. n 9. & 10. ead. p. 4. to. 2. rec.*

Nota igitur, quòd semper in impetratione facienda est mentio hospitalitatis beneficio annexæ; de mente *Menoch. de arbitr. casu 201. num. 88. Moneta de commut. ult. vol. cap. 10. num* 437. & *Fagnan. in cap. ad audientiam num. 61. & 63. de rescript.* Ideoque ejus qualitas ante omnia perpendenda est: & *Paris. de resignat. ubi suprà* fusè differentiam concessionis in titulum & administrationem expungit. Quòd verò ad pauperum hospitalia possint deinceps ordinari Clerici, statuit *Concil. Chalced. act. 15 can. 6. & 8.* ubi *act.* 10. Diaconum, quem Ibas Edessenus Episcopus non potuit elevare ad Episcopatum, creavit Xenodochum.

Ex his quæstio oriri poterit, an Simoniæ materia insit Hospitalibus; Cui respondeo: Hospitalia laicalia, seu regimen temporale habentia non esse materiam simoniæ, cùm spiritualem fundationem haud agnoscant, *Panormit. in cap. extirpandæ. § quia verò in repet. num. 55. de præb. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 28.* & alii apud *Fermosin. tract. 1. crimin. ad tex. in cap. cum essent. 12. qu. 1. num. 19. fol. 211.* & hujusmodi administrationes vendere simoniacum non

non esse, nisi quia prohibitum putat *Fagnan. in cap. cùm pridem de pact. num.* 139. Quod multi extendunt ad hospitale auctoritate Episcopi fundatum, sed habens tantùm administrationem temporalem. Ita *Bassæus verb. Simonia p.* 2. *num.* 6. *vers. aliter ex cap. Salvator* 1. *qu.* 3. Verùm secus est in hospitalibus Ecclesiasticis in titulum datis à collatore, quia etiam si titulus perpetuus non fuerit, sed amovibilis, dummodo spiritualis habeatur administratio, simonia incurritur, sive paciscendo, sive aliquid temporale tribuendo. *Suarez ubi antè*, & latè *Fermosin. in alleg. Fiscal. S. Officij Inquisit.* 2. *p. tota alleg.* 3.

Si sit beneficium, renunciari non posse absque Superioris licentia *Paris.* tradit *de resignat. loc. cit.* Si verò auctoritate Episcopi sit constructum, quo casu beneficium propriè non est, nec profanus titulus, cum beneficio permutari non poterit: secus tamen erit, si diversa fuerit ejus qualitas. *Petrus de Perusio in cap. quæsitum. Io. Andr. in cap. un. eod. de Relig. dom.* & *Benedict. Capra inter suas regul. in tract. permutat. benefic. n.* 34.

Quando Hospitale conceditur administrandum, limitari debebit tempus, ut non ultra triennium, nisi aliud in fundatione cautum fuerit, ut benè advertit post *Concil. Trid. sess.* 25. *jam cit. cap.* 8. *Id. Nicol. ibid.* & nullam in contrarium consuetudinem obesse dixerunt *Ricc. resol.* 93. *Garz. de benef. p.* 2. *cap.* 3. *n.* 9. & *Barbos. ad d. cap.* 8. *Concil.* quos cum aliis refert *Passerin. de statu hominum & officijs to.* 1. *q.* 185. *a.* 7. *n.* 216. Verùm hæc non procedere in hospitalibus ordinum militarium, vel Regularium quorumcunque, in quibus suorum ordinum instituta & antiquæ observantiæ custodiendæ sunt, per *Clem. II.*

§. *præ-*

§. *præmissa*, & consuetudinem, quâ ex Concil. Trid. minimè revocatum id constat *Nicol.* affert *præd. lo.* At de hoc fusiùs infrà. Quando verò in titulum confertur, oportet quòd recipiens Clericatu sit insignitus, fructus faciat suos, horas recitet canonicas, aliaque ad quæ Clerici beneficiati tenentur, præstet, pro quo optimè *Rota dec.* 714. *n.* 8. *p.* 1. *diversf.* & *Anastas. Germonium in tract. de Indult. Cardinal.* §. *Regularia nu.* 42. Rursus data in titulum unius diœcesis, pro seminario alterius ad ratam fructuum, quos ibi percipit, contribuunt. *Barbos. in Trid. cap.* 18. *sess.* 23. *num.* 19. *& alibi.* nec non *Fermosin. tract.* 1. *crimin. ad tex. in cap. quia* 4. *q.* 1. *nu.* 32. Cuncti autem sive Titulares, sive Commendatarii vel Administratores, illa reficere & restaurare tenebuntur, quemadmodum amissa ac usurpata recuperare, ad quæ per Episcopos compelli, etiam cum amotione à cura valebunt, ut sapientissimè fuit sancitum in *Concil. Colon.* 2. *p.* 11. *cap.* 1. & *Concil. Mediol. p.* 2. *tit. de prior. locor. administr.* Et Hospitalarium præ cæteris prætendere posse beneficium in hospitali jurispatronatûs fundatum, quod ad ipsum pertinere præsumitur, extat doctrina *Felin. in cap. cùm venerabilis* 37. *fallent.* 4. *de except.* & *Rota apud Seraphin. decis.* 1120. *nu.* 3. ubi quòd quælibet alia probatio sufficiet, juncta hac juris præsumptione.

Dubitabis, an in Feudum vel in Commendam haberi queant hospitalia? Ad quod dico: Incapax feudi, & per consequens Commendæ Hospitale reputari ex ea ratione, quòd in bello per se Domino inservire non potest, quod in feudo ex pacto & providentia *Menoch.* agnovit *cons.* 1115. *num.* 34. & 35. licèt contrarium docere videatur *Afflict. in cap.* 1. §.

qui Clericus. num. 9. si de feud. sit controv. inter dom. & vasall. cujus sententiam proprio calculo adprobavit *Nard. Liparul. in addition. ad Isern. in eod. §. verb. Hospitalarij :* quos tamen de feudis hæreditariis intelligendos *Menoch.* declarat *præd. cons. num. 38.* cùm hæc feuda hæreditaria etiam ad monasterium transeant, ut per *Felin. in cap. in præsentia num.* 47. & *Rosenthal* qui de omnibus plenissimè agit *in tract. de feud. cap. 7. conclus. 30 num. 12.* & hoc etiam de Jure Indorum testatur *Acutißim. Solorzan. lib. 2. cap. 17. num. 72. to. 2.* Et Cosinus Primus Ethruriæ Magnus Dux ex Pontificia Sixti V. beneficentia facultatem fuit consequutus erigendi in commendas militiæ S. Stephani hospitalia per laicos regi solita, de quibus Pontifex minimè disponebat, ut constat ex ejus *constit. 65. incip. Præclara.* Ex quibus varii præstantesque, hospitalis regiminis respectus, quantum satis videntur dilucidati.

CAPVT V.

Episcopalia Iura in Hospitalibus quæ, & quomodo obeunda.

SUmmum quod in Hospitalibus requiritur, vel est piissimi hujus operis incrementum, vel saltem præsentium jurium conservatio, quæ continuo boni aliquid efficit seu producit; Propterea de ipsorum cura quàm maximè prospiciendum. Cui vero id primitus incumbat, ex rei quidditate facilè comperietur : potest enim ad quemcumque, sive publicum sive privatum, aut laicum aut ecclesiasticum spectare, tum ex statuto Pontificio in fundatione,

ne, sive Apostolicæ Sedis privilegio, tum ex consuetudine; quibus cessantibus ad loci Ordinarium pertinebit, quemadmodum ex *nostra clem, quia contingit aliisque tex.* consideravit *Lapus aliàs citat. n.* 15. Ad rem *D. Greg. lib. 3, ep. 24. Antiqua consuetudo est, ut omnia Xenodochia Sardiniæ spectent ad curam Episcopi. Huic omnes Xenodochi debent rationes. Xenodochi debent esse probi, in quos publici Iudices nullam habeant potestatem.* Quæ cura fuit aliquando per ipsos delegata: hinc est quod *canon. 75. Arabici* statuit, ut *Quævis civitas habeat Xenodochium pro peregrinis, pauperibus, infirmis: ei Episcopus præficiat monachum; quod si media nō sufficiant, populus annue conferat.* Sic Antonius Subdiaconus præpositus fuit Romani Xenodochii, ut *id. S. Greg.* scribit *lib. 7. ep. 61.* & cuncta Urbis Xenodochia per Stephanum III. Diaconis subjecta, habetur *in lib. Pontific.* Distinguunt nihilominus *Concil. in Regiodicenensi cap. 15. & 16. & Concil. Rom. Eugenii II. cap. 23.* ut quædam Xenodochia in potestate sint Episcoporum, quædam verò sub Ecclesiæ defensione, sed juxta fundationem, regi debeant per hæredes, &c., Præcipua tamen jurisdictio ut plurimum Episcopis confertur.

Videmus igitur quod prudentissimis sanctionibus Antistitum consilio ac sententiæ, qui cæteris tum ex dignitatis culmine, tum ex personali qualitate aptiores existimantur, jus quoddam supremæ vigilantiæ in hospitalibus committitur. Quod ut methodice exercere valeant, medio visitationis potissimum adimplent: hanc verò in omnibus hujusmodi locorum speciebus obire ipsis fas est ex communi regula fundatæ intentionis in jurisdictione hospitalium Episcopali auctoritate erectorum, de

qua *Canis. in summa jur. can. lib. 2. tit. 23. §. 3. Fagnan. in cap. ad hac de Relig. domib. n. 7. ac per tot. & passim DD.* etiam si illorum cura, gubernatio & visitatio ad laicos pertineat; idque tam per se ipsum Episcopus quàm per Vicarium seu alios delegatos ex *tex. in d. Clem. quia contingit & Sac. Congreg. Concilii responso apud Fagnan. ibid. n. 8. & 9.* Solus tamen hospitalia cathedralis Ecclesiæ non visitat, sed adjunctos probos viros sibi adsciscit, cum quibus procedit, opusque pium in aliud commutat. *Saravia de adjunctis cap. 15. n. 15. & latius cap. 18. per tot. Zerola in praxi verb. hospitale dub. 8. Fusc. de visitat. cap. 13. n. 24. Barbos. de univ. ju. Eccles. lib. 2. cap. 11. nu. 53. & Frances de Eccles. cathedral. cap. 27. nu. 134.* qui existimat posse ab illo cathedralium hospitalia absque Regia licentia visitari, etiam si cathedrales juris patronatus Regii sint.

De summi Pontificis potestate libertatem tribuendi tam à lege diœcesana quàm à jurisdictionali nulla movetur difficultas, cum apud omnes DD. in confesso sit: Eam tamen temere non tribuendam nonnullis placuit, ne *membrum aliter locando in Christi corpore quam ipse disposuit, monstrum facere videatur,* ut Eugenio 3. D. Bernardus exprobrat *lib. 3. de consi-derat. cap. 4.* damnatque vehementius in *epist. 42.* ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. Et in dubio aliter haud quaquam voluisse censetur inter multa quoque concessa privilegia, quam si ex professo & disertis verbis pronunciaverit se religiosum locum ab ordinaria potestate eximere, eumque deinceps Apostolicæ Sedi velle sine medio subjacere, juxta Bonifacii 8. decisionem *in cap. si Papa X. de privil. in 6.* ac vel etiam sic datam à Papa exemptionem

distin-

distinctionibus aliquot temperari monuit *Ambros. le Gauffre in synopsi decretal tit. de offic. ordinand.*

Hinc Doctoribus visum est, Episcopo absolutè renunciare, & aliquam diœcesis suæ Ecclesiam ab Episcopali jure in totum eximere in successorum præjudicium non licere, sed nonnullo annuo censu retento, si capituli consensus & Apostolicæ Sedis confirmatio accedat *ad tex. in cap. pastoralis 7. in fin. de donation. & cap. constitutus 6. de relig. dom.* in quo sensu videtur intelligenda sententia *Chokier de Iurisd. in exempt. p. 5. q. 9.* quod exemptio à visitatione & inquisitione in successoris præjudicium inducta non valet. Prudenter itaque facienda est, nec generalis jurium Episcopalium renunciatio sufficiet, ut correctio morum, visitatio, & cathedraticum remissum præsumatur, *Id. cap. pastoralis versu quod si. can. visis in fi. 16. q. 2. & cap. cum venerabilis 21. de censib.* Et superioritatis semper prærogativa remanet sibi, quamvis ea nominatim remiserit ex ratione *can. nulla dis. 93. juncta gloss. can. visis in verbo tradita*, quia nulla Ecclesia & nullum hospitale acephalum esse potest. Nec videtur contrariâ præscriptione id posse acquiri, cùm sit juris nimium communis regula quod *religiosæ omnes domus Episcopo sint subjectæ*, patetque ex ipsamet rubrica. Temperanda tamen Episcoporum potestas proponitur, ita ut ii omnia in casu hoc se posse non putent, monuitque *le Gauffre jam citat. in Synopsi decretal. ad tit. 36. de Relig. dom.*

Fateor quod hospitalia fundari possint cum conditione hac, ut Episcopi visitationi minimè subsint, dixit *Muta decis. Sicil. 58 n. 29.* quo casu Episcopus visitationem habere non potest *Pasqualig. quæst. moral. canon. 88. censur. 1. Rota coram Ludovis. dec. 4. & 8.*

& P. Del. Bene de Immunit. Ecclesf. p. 2. cap. 10. dub. 11. sect. 11 patetque ex præservatoriis *Concil. Trid. cap. 9 sect. 22. ibi: nisi secus fortè in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expressè cautum esset, &c.* Rursus privatum ipsius jurisdictioni absolutè non subest, ut ex probatis, quib. addo *Franc. Marc. decis. Delphin. p. 1. quæst.* 1020. *n.* 1. maximè vivente fundatore. Ita *Quaranta in verb. alienatio rer. Ecclesf. n.* 28. & 41 *versu quinto limita. Gratian. dec. 26. n. 5. & Antonell. de loco legali cap. 3. n. 9.* Verum tam illud quam laicum, dum in eo pietatis opera exercentur, pius locus dicitur ad effectum ut Episcopus , si non auctoritate ordinaria, saltem ut Apostolicæ Sedis delegatus visitare possit. *Ex Conc. Trid. Malct. de Hierar. & Iu. Ecclesf. milit. lib.* 4. *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 7. *fol.* 425. Vide *Merlin. Pignatell. controv.* 65 *n.* 8. *centur.* 1. fusè *Theod. Amyden. de stylo Datariæ lib.* 1. *cap.* 15. §. 5. *q.* 11. *per tot. Eugen. conf.* 88. *vol.* 2. & *Rot. decis.* 30. *n.* 8. *p.* 2. *rec.* Et in fundatione exclusus ab hoc jure, potest in eo tamen se immiscere, administratoribus negligentibus, ex *Fagnan. in cap. tua nobis n.* 16. *de testam.* seu salvis hospitalis juribus, per *Concil. Colon.* 3. *tit.* 4 *cap.* Item hospitalis visitatio, cujus cura alteri demandata fuit, ad ipsum Episcopum spectat: ubi tamen est concessa protestatio & defensio quæ à jurisdictione non eximit , & per consequens nec à visitatione. *Rot. ad. dec.* 30. *n.* 2. *p.* 2. *in rec.*

Constat ex prædictis unde oriatur exemptio, scilicet vel à fundatoris lege, vel ab Apostolico privilegio, cui tamen per *Concil. Trid. d. cap.* 8. *in f.* quemadmodum immemoriali consuetudini, derogatum non sit: idcirco exemptionem alleganti onus illam probandi incumbit, teste *Fagnano in præd. cap. de Xenodo-*

nodochiis. Quâ in re non video multam extensionem admitti; permittitur enim quod hospitalia communitatis exemptæ fruantur exemptione ab hujusmodi ordinaria Episcopi jurisdictione, ut ostendunt *Tamburin. de ju. Abbat. to. 1. disput. 15. q. 1. & duob. seqq. & Faiardo p. 2. alleg. 6 in notis litt. SS.* sed hospitale olim exemptis unitum, non fit exemptum ad tradita per *Zypæum respons. de ju. can. lib. 3. resp. 3. tit. de relig. dom.* Simili modo si Rex ab ordinaria potestate hospitalia certæ civitatis eximat, eidemque Pontifex alia adnectat, hæc in exemptione non venient, cùm eam potestatem minimè habeat, ut in facto accidisse testatur *Cabedo de patronatib. Regiæ Coronæ cap. 4. n. 1. & 10.*

Excipiuntur præcipue à visitatione hospitalia, quæ sub immediata Regum protectione in fundationis limine sunt recepta, nisi de ipsorum Regum licentia, ut expressè disponitur in decreto *Sacr. Concil. Trid. d. cap. 8. sess. 22.* in quô tamen casu, ultra Regiam protectionem, legitima exemptio probanda est, quia Concil. *ibid.* tribuere noluit novam exemptionem locis sub Regis protectione existentibus, sed tantum, si quam prius habebant, præservare *jux. tex. in cap. ult. in princ. de offic. deleg. in 6.* & per longe digesta à *Fagnan. in cap. de Xenodoch. cit. n. 19. & seq* Hujusmodi autem favor militat quoad facultatem ordinariam, quia tanquam delegatus, pro decentia Divini cultus poterit invisere, uti supra explicavimus. Quod si dubium sit de Regia protectione, ad Ecclesiasticum judicem pertinebit ejus cognitio. *Ricc. in praxi p. 4. resol. 162. 167 & 179. Barbosa p. 3. alleg. 75. n. 16. & seqq. Seraph. dec. 1599. & postea Antonell. de Regim. Eccles. Episcopal. lib. 1. cap.*

1. *cap.* 3. §. 5. Exemplum affero celeberrimæ hospitalis domus 300 cœcorum ab inclyto Rege Ludovico IX. excitatæ, multisque à Johanne XXIII. qui Præsulatu Romano circa an. 1412. fungebatur beneficiis honestatæ, ut nempe quicumque ibi degerent, ab Episcopo Parisiensi eximerentur, ut videre est apud *Ren. Choppin. Monasticon lib.* 2. Nonnulla tamen hospitalia etiam Regia protectione decorata visitari queunt, si id in actu fundationis cautum non fuerit , prout patet in hospitali S. Jacobi & Ildephonsi de urbe, qui hac de causa visitabitur teste *Iacob. Pignatell. consf. cano n.* 113. qui ad rem bene advertit quod summus Pontifex vel Ordinarius ante consensum considerare debet proventus, custodiam, stipendia, dotationem & similia quæ immutare valde possent essentiam rei, abususque indebite introducere. De hospitali majori Mediolani utrum Regia vel Sedis Apostolicæ protectione muniatur , vide *Borgnin. Cavalc. dec.* 23 *n.* 92. *&* *Fagnan.* de hospitali S. Mariæ scribit ab Archiepiscopo visitari posse *d. cap. ad hac. nu.* 14. Quoad Regiam permissionem seu licentiam variæ ordinationes in Lusitania adsunt, quarum meminere *Gama decis. Lusitan.* 288. *Alvar. Valasc. consult.* 105. *per tot. & Cabed. ubi supra cap.* 38. *&* 39. eam vero licentiam in Indiis habere Ordinarios, probatur schedulâ relata à *Io. Solorzano de Indiar. ju. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 59. *to.* 2.

Limitatur prædicta conclusio in hospitalibus sub Ducum protectione, quæ ab Episcopo visitari posse scribunt *Barbos. ad prad. cap.* 8. *Concil. verb. cura ad laicos & Ciarlin. to.* 1. *cap.* 65. *n.* 2. non enim pari passu cum Regibus ambulare debent iis valde inferiores. Sic etiam visitari possunt ea, in quibus Rex

non

non est quam Comes vel Marchio, ut volunt *Marta de jurisd. cap.* 18. *n.* 4. ex mente sacræ congreg. & plurib. probat *Gabriel. cons.* 195. *n.* 9. *lib.* 2. *& Ricc. in praxi lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 11. Sed vide *Daniel. de Nobilib. in addit. ad quæst.* 49. *n.* 16. *cum seqq.*

Neque visitare potest Episcopus Hospitalia ac similia pia militarium ordinum & aliorum Religiosorum loca, quia ea præservantur, tam ex juris communis *in d. Clem. quia contingit, quam Sacr. Concil. d. sess.* 22. *cap.* 9. dispositione. Ex quo sacræ Congreg. resolutiones emanarunt quod Abbates, Abbatissæ ac præpositi monasteria in titulum habentes vel administrationem, ad reddendam Episcopo rationem minimè teneantur, referente *eod. Fagnano d. cap. ad hæc nu.* 48. ubi in *n. seq.* administratores non excipit hospitalium B. Jo. Dei qui Episcopo singulis annis tenentur rationes reddere, hoc namque cautum fuit tam ex lege fundationis, quam ex constitutionibus Apostolicis. Item subesse Ordinarii visitationi hospitalia quæ sub cura Universitatum sunt, ut ex Concil. verbis *d. cap.* 8. ibi : *etiam si illorum cura ad laicos pertineat*, & adversus August. Barbos. apocrypham sacræ Congreg. decis. afferentem concludit *ibid. Fagnan. n.* 18. Sunt tamen nonnulla similis generis hospitalia privilegiata, prout illud à collegio mercatorum Perusinorum conditum, quod visitationi ordinarii non subjacet, nec ad confectionem ac sustentationem seminarii contribuere quicquam tenetur, quemadmodum refert probatque *Tobias Nonius cons.* 61. *n.* 1. *&* 7. quod pro aliorum exemplo valeat.

Cæterum visitationis, de qua agitur, labor debet omnino gratuitus esse, ut forsan eo tempore gemi-

nus

nus charitatis actus uberius exerceatur erga Deum & erga proximum : ideoque procurationis honorarium alias Episcopo visitanti absque ulla mora vel exceptione debitum,ut indubitati juris est apud *Abbat.in cap.cum ex officii.de præscript.n. 9.* aliosque in præsenti casu, tam sibi,quam cuicumque visitanti non solvitur, est enim privilegium speciale quod regulam limitat generalem. *Gloss. in cap. procurationes. Bonifac.in d.Clement.quia contingit n.49. ibique Cardin. de Relig.Dom. DD. relati à Barbos.ad Concil sess. 24.cap.3.n.21. & late Bellett.disquis.Clerical. p.1. tit. de Cler.debitor. §.1.per tot.præcipue n.16.*

Gerere autem se debet Apostolicus Visitator veluti bonum Agricolam vineæ Domini, plantando, extirpando, metendo prout opus fuerit, ut uberes fructus tempore debito colligantur. Præcipua itaque cura debet esse ne Rectores eorum locorum inhumaniter pauperes vel ægrotos recipiant, neque ipsorum proventus in proprios usus convertant, ipsaque loca manutenere, & si opus fuerit, reformare debent docente *Lapo ubi supra n. 16. & Eminentiss. Card.Palaosto in Archiepisc.Bononiensi p.6* quod pauciorib. *ex præfat. Clement Fagnan.* expressit, ubi proxime *n.25.* astruens, quod possit cuncta in visitatione statuere, quæ ad rectam administrationem pertinent. Hinc quod sibi domum deferri debeat rationum liber per administratores, quemadmodum intervenire statis diebus, quibus ex consuetudine vel privilegio ratio est reddenda, sic resolvente *Sac.Congreg. apud eund. n.37. & 38.* Et tam in ratione reddenda, quam in liberatione facienda, ejusque votum connumerandum cum cæterorum suffragio in absolvendo vel condemnando, imo si opus

opus fuerit, administratores cogendo ad voluntatem fundatoris exequendam, non obstante contraria fundationis lege *ex cap. tua nobis de testam.* ubi *Fagnan. & alii*: & demum curando ut eleemosynæ in debitum usum convertantur, cæteris necessariis, juxta circumstantias vigentes, prudenter sancitis. Sublati enim sunt per *Sacr. Concil. Trid. sess. 21. cap. 9.* eleemosynarum Quæstorum abusus, qui sub prætextu erigendi vel substentandi hospitalia vagabantur, populo reliquias ostendebant, atque indulgentias publicabant; Quia & in hoc voluit per Episcopum diligenter animadverti, ut ad eum locum *Aug. Barbos.* declarat.

Unire solummodo hospitalia insimul, est quid de superiori reservatis, quæ Episcopo non permittuntur, etiam si conferantur in titulum, & in eis nulla exerceatur hospitalitas, ut *Id. Fagnan. in cap. sicut unire n. 34. de excess. Prælat.* Parum namque non erit si præsentem hospitalis statum, quoad poterit, pastorali sollicitudine tueri, ac provide ministrari faciat.

CAPVT VI.

Privilegia Hospitalium quæ, & qualiter inducta.

QUemadmodum personæ pro meritorum gradibus, bonorum præmio, proportione debita servata, augeri solent. Ita loca, quò magis veneranda ex operibus cernuntur, ita præ aliis, fœlicissimis privilegiorum auspiciis illustrantur. Referemus præcipua, ex quibus cætera facilè comprehen-

di queant, ne exuberantem fortasse narrationem orsi, Lector erga nos discretissimus, fastidiat ac stomachetur.

Hospitalia & Ecclesias æquiparari in pluribus, maximè in fabricæ vulgatis privilegiis docet *Christina. decis. Belgic.* 15. *&* 81. *tom.* 4. confirmatque experientia in casu translationis dominii ex titulo tantùm absque possessione *ad tex. in cap.* 2. *de consuet. & Ruini cons.* 7. *n.* 17. *vol.* 3. Immò ipsorum causam favorabiliorem quandoque ipsamet causa Ecclesiarum scribit *Trentacinq. de rescript. resol.* 4. *sub nu.* 2. §. *immo*: Non credas tamen quòd in reservationibus aliisque dispositionibus Ecclesiarum nomine veniant, nec quòd reservatione vacantium in curia cadant, quorum primum negativè affirmavit *Feder. de Sen. cons.* 280. *per tot.* Alterum *Zabarel. cons.* 117. *Calder. cons. un. de suppl. neg. præl. Bald. fusè cons.* 205. *in princ. vol.* 3. *& deinde Marchesan. de commiss. avocat. causar. p.* 2 §. 2. *n.* 8. & *Merlin. decis.* 49. *n.* 5. id limitans quando confertur ad vitam *n.* 6. Sed indubiè scito illa comprehendi in generali revocatione per Summum Pontificem facta ex *Card. post Lap. in Clem.* 2. *in* 3. *q. de judic. ibiq; gloss. & Paris. cons.* 36. *num.* 54. *vol.* 4.

In materia jurisdictionali pro persona habetur, ut *Rota* censuit *dec.* 30. *n.* 4. *p.* 2. *rec.* & sub personali dispositione contineri, quando de illius favore tractatur vult *Grat. Contrius discept. for. caus.* 5. *n.* 12. fortasse quia hospitale magis dignum, ideoque cæteris paribus semper præferendum, excepto concursu cum filiis ad hæreditatem, quibus potior locus in dubio ex majoris dilectionis præsumptione, respondente *Menoch. cons.* 1230. *n.* 10.

Ut

Ut verò hujusmodi gaudeat privilegiis, supponitur semper quòd sit publicum & ecclesiasticum, ex qua qualitate nascitur libertas ab omnibus oneribus, tributis, seu collectis *cap. in quolibet 23. q. 8. l. sancimus 18. C. de sacrosf. Eccles. Socin. in l. rem quæ nobis vers. 2. dubitatur ff. de acqui. posse. Felin. in cap. de quarta de præscript. Anton. Gabriel. in suis commun. lib. 6. tit. de pia causa conclus. 2. per tot. Menoch. in tract. de recuper. vel retin. remed. 15. à n. 22. cum seqq. Barbos. de Episc. alleg. 75. n. 35. Gironda p. 7. in princ. à n. 67. Reverter. decis. 284. n. 2. Diez. de Mena var. quæst. lib. 2. q. 21. n. 174. & latissimè Mascard. in tract. de probat. 2. p. conclus. 869.* unde in generali impositione de gabellis loquente, non comprehendi notat *Contrius ubi suprà.* Et de præstatione decimarum, cui hospitalia in Gallia præcipuè obnoxia non sunt *Ant. Bengeus & Franc. Pinssonius in tract. de benefic. eccles. ad usum fori Gallici cap. 4. §. 31. n. 6.* Universaliter verò, quòd gravari non debeant ad monialium inopiam subveniendam censuit *Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. in Urbe. 24. Aprilis 1604.* In Galliæ tamen meditullio usu quodam receptum prædiarias opes cum possessore ipso nuncupatim pio sacratas hospitio, nihilo secius profano jure commercioque eodem teneri, idque ne popularis, privataque fortunarum translatio in fiscale vergat Principis dispendium, magnatisve inferioris, ut exemplo clarissimi Ordinis Parisiorum pronunciationis adversus Lavardinum Vindocinensis Ptochotrophii Rectorem ac magistrum comprobat *Renat. Choppin. de jure Cœnobit. lib. 1. pag. 137.* Si etiam beneficia habuerit ad seminarium unita, contribuere tenebitur juxta latè tradita à Zerola & Riccio, quos sequitur *Barbos. in Pastor.*

alleg. 77. *n.* 6. *& de univ. jur. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 31.

Circa immunitatem, quæ est maximum hospitalium privilegium, applicanda erit regula jam tradita, quòd si adsint signa loci sacri, scilicet sit expressè dotatum, nec habeat tantùm annuum redditum per alleg. à *Menoch. de præs. lib.* 6. *cap.* 79. *n.* 4. *Cavalc. dec.* 17. *n.* 65. *p.* 2. *& Rot. Rom. dec.* 508. *p.* 1. *in noviss.* sitque auctoritate Episcopi exstructum cum campanili & campanis, quibus cives ad sacrum celebrandum vocentur, omninò illa gaudeat, ut docent *Archid. in cap. nemo de consecr. dis.* 1. *Innoc. in cap. dilectos de donat. Mascard. de prob. conclus.* 869. *in princ. Guttier. can. quæst lib.* 1. *cap.* 35. *n.* 20. *Merlin. Pignatell. controv. for. cap.* 65. *per tot. Fagnan. in cap. Ecclesia n.* 27. *de Immunit. Eccles. Franc. Marc. decis. Delphin.* 838. *n.* 6. *p.* 2. *Del Bene in tract. de immun. Eccles. tom.* 2. *cap.* 16. *dub.* 9 *sect.* 1. *n.* 10. *& alii.* Quæ immunitas extenditur ad omnes ejus ministros quasi intra limites primum, ut inquiunt *Fusc. de visit. cap.* 13. *n.* 18. *& Camill. Borell. in summa decis. tit. de sacros. Eccles. n.* 16. & deinde ad cæteros in porticu privato ipsius hospitalis, non verò in publico, scilicet illo, quem facit via publica pro mercimoniis. Ita distinguunt *Barbos. de jur. Eccles. lib.* 2. *tit. de immun. Eccles. cap.* 3. *n.* 73. *& seqq. Paul. Iordan. divers. elucubr. tom.* 2. *lib.* 11. *tit.* 2. *de immun. Eccles. n.* 190. *&* 193. *ubi plures citat, & Farinac. de immun. cap.* 18. *n.* 291. Ideoque ad illa confugientes ita esse tutos, ac si ad Ecclesiam confugerent, volunt *Archid. in cap. diffinivit* 17. *q.* 4. *Bald. in l. si quis ad declaranda* §. *in omnibus n.* 21. *circa fin. de sacros. Eccles. & Io. Leo in thesauro for. eccles. p.* 1. *cap.* 13. *n.* 8. ut scilicet puniri corporali pœna nullatenus possint. *Panorm. in cap. Ecclesia n.* 7. *de immun. eccles.*

Covarruv.lib.2.var.resol.cap.20.num 4.vers.3. constat. Navarr.inmanuali cap.25. tit. de statu judic. superior. cognosc.n.18.vers.hospitale item & Alphons. Villagut in tract.de extens. leg.tit.de extens.immunit. eccles. q. un. conclus.1.n.35.pag.355. qui concludunt ulterius in eo casu ita locum sacrum censeri & religiosum, ut profanis usibus deservire non possit. Et gaudere jure asyli, ita ut absque judicis ecclesiastici licentia, confugiens extrahi non possit, putat *Decian. tract.crimin. lib.6.cap.31.n.18.* quod tamen de consuetudine universaliter non servari *Carpzov. prax. crim.q.110.n.95.* colligit *ex Claro lib. 5. sent. §. ult. q.30.vers.Scias autem.* Si verò à laicis gubernetur, & Episcopi visitationi minimè subsit, immunitate nullo modo fruetur. *Diana res.p.1.6. tract. 1. moral. Rodoer.addit.ad 1.lib.quotid. resol.Donati Anton. de Marinis ad cap.179.n.5. & 6.* & fuit nuper à sacra Congreg.immunitatis resolutum *in una Eugubina 15. Decembris 1671.* & hoc postremo casu neque privilegio fruuntur ut eorum bona ultra triennium locari non possint. *Del Bene ubi suprà tom.2. cap. 18. dub. 9. n.2.*

Si in casu versemur ultimæ voluntatis, plura sunt advertenda, quæ singularibus coruscant privilegiis. Est namque multiplex oblatorum species Xenodochio seu simili domui hospitali, quorum alii se non sua eidem devovent, alii suorum partem dumtaxat, alii cuncta expressim secum in illam transferunt, ex qua distinctione dubium haurit Abbas Siculus *juris respons.102. vol.1. & resp.366.vol.4.* An scilicet de bonis suis ii liberè disponant, plura pro affirmativa deducens: unde Aquinaticus Senatus in cognitione causarum decrevit penes obla-

tum donatumve publico valetudinario liberum manere ſuis de rebus arbitrium, ſolutamque earum diſtrahendarum poteſtatem adverſ. ſyndic. Noſocomii D. Andreæ Burdigalen. judicato 16. kalend. ſextiles anno 1518. ſecundum Stephanum Planchum, quod *Boerius* ibidem Præſes citat *Senatoria dec.20.& Renat. Choppin.* narrat *de jure Cœnobitar. lib. 1. pag.* 136. & hoc eſt privilegium perſonale non minimi momenti, ut fideles ad præſtandam in eo, absque ullo amittendi bona ſcrupulo, ſuam operam faciliùs invitentur. Idcircò, juxta communis juris diſpoſitionem, Hoſpitale jus non habet ſucceſſionis ab inteſtato per *tex. apertiſſ. in l. nutritorib.* 10. *C. de commu. ſucceſſ. & l. Si quis cum filium de verb. oblig.* ſed hoſpitum decedentium bona, vel proximis reſervanda, vel iis non comparentibus, piis locis conſecranda *auth. omnes peregrini commu. de ſucceſſ. in C.* §. *omnes peregrini de ſtatu. & conſue. in auth. colla. X. Tholoſ.* ſententiam illuſtrat *ſyntagm. p.3. lib. 45. cap. 15. n. 2. & Bald. & Angel. in præd. auth. omnes peregrini* declarant ea bona tradi poſt hoſpitum obitum debere Epiſcopo, qui excluſo fiſco in pias cauſas erogetur, ſequitur *Gomez. in comment. ad leg. Tauri l. 8. n. 25.* & hoc ſervatur in urbe, quanquam alicubi per privilegia ſeu ſtatuta, ſeu locorum conſuetudines remaneant hoſpitali, teſte *Nicolio lucubr. civil. lib. 3. tit. 1. n. 66.* & pro majori pauperum commoditate viget ibi facultas, ex ſpeciali Urbani VIII. indulto, ut in hoſpitali ſanctiſſimi Salvatoris, teſtamenta à ſcriptoribus, appellant *ſcrivanos* ejus loci ibique paratiſſimos, coram ſeptem teſtibus rogari queant; ſimileque emanavit pro hoſpitali B. Virginis Conſolationis, cuius ſenſus in marmoreo lapide ipſius-

met

met Valetudinarii prostat, & ex dicti loci pii statutis prætenditur quodlibet per infirmos scriptum favore ministrorum legatum, esse irritum & inane. Nec in dubio hospitale, quàm successionem eorum, qui bona ex ipsius reditu acquisiverunt, acquirit ex *Papon. lib. 7. arrestor. Franciæ tit.* 1. *a.* 9. imò hospitali condonatus recedens, potest sibi acquirere, & de acquisitis disponere, ut suprà innuimus, ex *Boer. q.* 20. *n.* 2.

Cæterum dum sit auctoritate superioris erectum, possunt sibi solvi relicta ad pias causas, ut *Gabriel.* putat *conclus.* 3. *lib.* 6. *n.* 18. ex interpretatione juris quod hospitali relictum dicitur ad pias causas relictum, de quo *Fermosin.* testatur ad *cap.* 10. *Ecclesiæ S. Mariæ de constitut. n.* 8. dubio tantum remanente, an relictum custodibus confraternitatis quæ loco pio addicta sit, censeatur intuitu dicti loci pii relictum, ita ut ille fuerit principaliter contemplatus, in quo variant auctores in *Rota Rom. cit. dec.* 482. *p.* 4. *to.* 2. *rec. quæ est* 130. *coram Durano*, ad quam libenter studentes remittimus. Post certum tempus, vel post alterius mortem institutum, jure fideicommissi succedere dicunt *Mantic. lib.* 4. *tit.* 5. *de conject. ultim. vol.* ac *Thadeus Piso var. resol. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. scilicet non directe per *Fulu. Pacian. cons.* 23. *n.* 26. non tamen ei aliquid deberi posthumo præterito, etiam quod clausula adsit codicillaris, notat *Menoch. cons.* 1230. *n.* 45. Sed substitutum simpliciter filio si absque masculis decesserit, admittitur, licet masculi extent nepotes ex filiabus, facitque eo modo conditionem deficere ex *Capra cons.* 18. *n.* 13. Verum si substitutum sit in concursu legitimati ab Imperatore, postponitur; cum is nil differat à vere legitimo, ut contra

Bald. probat *Mayn. vol. 3. cons. 39. nu. 21. & nu. 26.* inquit, quod, licet in dubio sit hospitalibus favendum *ex cap. super prudentia 14. q. 2. & cap. fin de re jud.* Non tamen per hoc liquet deviare à juris tramite *per tex. in cap. ex tenore de so. compe. & notata à Io. de Ana. cons. 68. incip. viso statuto.* Sin autem post mortem uxoris Ex. C. sit institutum, statim adire potest, ac legatum usus fructus confirmare, quia hospitale non extinguitur, etsi per accidens extingueretur, deberet in alium pium usum converti, ut *ad tex. in l. legatum civitat: ff de usuf. leg. & Clem. nostra quia contingit* explicant *Bald & Alex. in l. extraneum C. de hæred. instit. & Thad. Pisod. lib. 2, cap. 5. n. 11.* Legatum annuum speciale ab alio debitum puta vectigal, *garentire* hæredem testatoris minimè obligare quoad evictionem, secus verò quoad generalem aut indefinitè conceptum per *tex. l. 21. à substituto. §. si verò certus. l. si legati servi nomine. l. si servus Titii, l legatum est §. fundus ff. de leg. 1. probat. Renat. Choppin. lib. 3. sacra polit. & de ju. Monach. lib. 2. pag. 216.* Et nonnulli defensant quod legatum incertum in favorem pauperum relictum subsistat, quo casu per Xenodochum civitatis, vel reddituum annuorum erogatione, vel mobilium venditione favore pauperioris hospitalis veniat distribuendum *ad tex. l. 28. & l. 49. C. de Episc. & Cler. Manz. de testam. valid. & inval. tit. 6. q. 7. n. 20. & 26.* At in Regno Neapolitano, sive ob peculiarem erga pia loca beneficentiam, sive ad fraudes evitandas, legata h spitali relicta infra quinque dies à No ariis denuncianda *ex pragmat. 1. tit. de legat. piis apud Rovit. fol. mihi 298.* Universaliter verò si sit hæres institut s inventariumque non conficiat, ultra vires hæreditarias non teneri scribunt *Angel. in auth.*

de

de alienat. & emphy. §. *antepen. Mascard. de probat. to. 2. conclus.* 869. *n.* 20. *Velasc. in tract. d. privil. pauper. p.* 1. *q.* 58 *n.* 21. & *Capyc. Latro dec.* 15. *n.* 20 & 25. *vol.* 1. examinans an privilegium faveat hospitalis cessionario. Multo minus ex bonis ejus falcidia vel Trebellianica est detrahenda, in quo vide late *Barbos. in pastor. alleg.* 75. *ex n.* 32. *cum plur. seqq. & de ju. Eccles. univ. d. lib.* 2. *cap.* 13. *per tot. ac Tiraquell. de priv. piæ causæ.*

Quoad contractus observo Hospitalis institutionem, neque etiam in æstimatione, sustineri de Emphyteusi expresse alienari prohibita, ut decisum fuit *in Romana devolutionis domus* 4. *Decembris* 1651. *coram Bichio impress post Melium in addit. ad Castill. dec.* 69. *n.* 25. Ejus bona semper conservanda *Greg. I.* jussit *lib.* 11. *ex regest. epist.* 10. paranda sunt pro pauperum usu ex *Concil. Sabin. n. cap.* 14. cum omni charitatis officio; nec possunt in alios usus converti *Concil. Senon. de visitat. cap.* 29. quo circa, ea usurpantes excommunicationis censura illaqueat *Concil. Illerdense cap.* 40. & veluti homicidas puniendos astruit *Mogunt.* 3. *cap.* 6. Et de jure nostro alienantes contra defuncti mentem hæreditate privantur per ea quæ tradit *Ciarlin. to.* 1. *contrav. for. cap* 43. *n.* 13. multos referens qui sequuntur *Angel. cons.* 168. *n.* 3. *vers. venio ad secundum.* pluresque pœnæ juncta excommunicatione leguntur *in extra. ambitiosæ de reb. eccles. non alie. Concil. Aurelian.* 5. *cap.* 15. *Meldense cap.* 17. & *Mediolan.* 1. *p.* 3. *tit. de pior. locor. administr.* & hinc est, quod in alienationis etiam necessario casu, sive cessionis hæreditatis vel similis alienandi speciei, servandum sit beneplacitum Apostolicum teste *Borell. summ. decis. Neap. to.* 1. *tit.* 15. *n.* 73. & *plurib. in Rot. Roman. dec.* 248. *n.* 24. *p.* 11. *rec.* quicquid secus ex alio

forsan nobis ignoto principio *Menoch.* scripserit *cons. 655. n. 5.* Idemque dicendum de permutatione quæ fieri non debet, quam cum utilitate ac juris solemnitatibus ex *Valenzuel. to. 1. cons. 3. n. 33.* quia fructus hujusmodi locorum erogari semper debent cum omni diligentia in pauperum alimoniam. *Rota dec. 442. n. 5. p. 4. rec.* Ecclesiasticorum ope ex traditis, quib. addo *Iacob. Philipp. Portium cons. 182. n. 7.*

Procedimus ad privilegia quibus in judiciis fulgent hospitalia. Gaudent igitur privilegio fori de quo *Ricc. latè in collect. decis. p. 6. collect. 2421. & prius 1244. ead. p. 6.* Non tamen in eorum causis locum habet *clem. dispendiosam,* ut scilicet procedatur breviter, summariè ac sine figura judicii, quemadmodum nec fit missio in possessionem causa custodiæ, cùm illa in beneficiis non fiat *cap. 1 lib. 6. de eo qui mit. in poss.* & cum habeamus viam ordinariam paratam, ad extraordinariam convolare non debemus, ut egregie *Lapus* discurrit *n. 50. & 51.* sed tantum locum habet *clem. ad compescendas de sequestr.* cum nomine officii & beneficii insimul veniat hospitale ex probatis, & adhærente *eod. Lapo n. 52.* In laicis committi solitis locum non habet *cap. 2. ut lite pend. in 6. ex Rubeo singul. to. 2. fol. 513. col. 2.* In legitime verò erectis viget *l. un. C. quando inter pupill. & vid.* ut probat *Ridolphin. in praxi A. C. p. 3. cap. 4. n. 117.* & *Ias. Mayn. cons. 214. n. 8. & 9.* dubium examinat an sibi competat remedium, *l. fin. C. de ed. D. Adr. toll.* Quo ad Judicem dico debere esse ecclesiasticum si sit locus pius, ideoque etiam administratores ejus pro negotiis hospitalis coram Ecclesiastico debent conveniri, quanquam pro suis particularibus coram laico ex *Lambert. de jure patr. lib. 1. p. 1. a. 10. n. 4. & Rota*

Dec.

Dec.482.p.4.to 2.rec.n. 39. Et in consistoriis seu judiciis Ecclesiasticis omnes hujusmodi causas tractandas esse rescripto supremi consistorii Dresdensis probat *Carpzov.Iur.Consist.def.92.n.11.* cui tamen subscribere non audeo. Supradicta verò intelliguntur dummodo contraria consuetudo non adsit, quæ quandoque præsumitur. Ita *Io.Fanc.de Ponte cons.18. n.8.* Sic Rex Siciliæ, qui est monarcha & tanquam corporalis Deus videtur in suo Regno, ut scripsit *Cassar.in spec.peregr.quæst.q.12 n. 36.* est in pacifica possessione seu quasi immemorabili cognoscendi de omnibus causis Ecclesiarum extauritarum & hospitalium quæ per laicos gubernantur. *D. Cassar. ibid.lib.1.q.18.n.20.& 21.post De Ponte cons.18. n.6. Anna singul.90.& Vivium in addit.ad Dec. 517. n. 41.*

Rursus hospitales causæ privilegium habent, ut in eis Reus actori instrumenta edere debeat. *Menoch.lib.2.arbitr.centur.1.101.499.n.48. & Berlich. conclus.45.n.42.p.1.* Hospitalium libri optime fidem faciunt ad mortem probandam ibi defunctorum, concordantibus in hoc *Surdo in cons.430.n.36.vol.4. Genua de Scriptur.privat.lib.5.§.liber Hospitalis. & Rota dec.13.n.4.p.6.rec.* Per temporis lapsum hospitale ad instar minoris, in integrum restituitur præcipuè adversus agnitionem hæreditatis *cap.2.de in integr. restit.in 6.Gabriel.conclus.2.lib.6.Bald. in l.pupillorum C.de repud.hæredit.* qui ad longi temporis lapsum extendit. *Caballin.in gloss.ad constit.Ægid.lib.6.c.13.n.13 & 14.Ludov.Roman.cons.47.n.2. Faber in suo Cod. lib. 6. tit. 24. def. 1. n.1.Balthass.Thomas.de Tutor.tit.19.n. 4349.decad.3.Sfort.Odd.de restit.in integ.p.1.q.3.n.45. & 46.a.3.& Sperell.decis.Eccles.136.n.6. to.2.* Quod ampliatur dupliciter, Primo si institutum fuerit sub

conditione ut infra annũ cappellam ædificet ex *Menoch.conſ.*425.*n.*18.Secundo etiam ſi alter ſuccedere deberet hoſpitali, ſi aliquid non adimpleviſſet, tunc enim etiam reſtituitur, ut concludunt *Fulgos. in l.fin.n.*7.*C.in quib.cauſ.reſtit. in integ. & Capic. Latro conſult.*127.*n.*47.*to.*2. Sed limitatur in caſu quo per adminiſtratores fuiſſet legitime renunciatum hæreditati, quæ acceptata quoque ab hæredibus ſuis fuiſſet, quia hoſpitale non dicitur hæres ſuus ex *eod.Capic. Latro conſult.*119.*n.*18.*etiam to.* 2.

Item Hoſpitale per privilegia à juriſdictione parochi exemptũ, eidem nunquam ſubeſſe poteſt. *Rota deciſ.*348. *num.*2. *p.* 11. *in rec.* Epiſcopo canonicam portionem non ſolvit *Gabriel. concluſ.cit. n.*17. Quadragenariâ præſcriptione fruitur tanquam Eccleſia. *Buratt. deciſ.*774. *num.* 5. & de jure ſaxonico idem teſtatur *Berlich. concluſ.* 7. *num.* 1. 2. & 3. *p.* 2. In penſionibus annuis prælationem habet eodem jure ſaxonico, quamvis de communi jure tacita hypotheca ſine prælationis privilegio ſibi competat. *Carpzov. add. conſtit.* 28. *defin.* 54. *num. ult.* & *lib.*4. *reſp. jur. Electoral. tit.* 2. *reſp.* 12. *num.* 7. & *Richter. in tract. de ju. & privil. creditor. cap.* 2. *memb.* 5. *num.* 50. Et Valetudinaria privilegio gaudent competentiæ in deductione ne egeant; tantum enim ipſis relinquendum eſt, quantum pro congrua ſuſtentatione omnium alimentariorum neceſſarium eſt, ut reſpondit *Manzius decad.* 3. *patrim. pupill. qu.* 4. *num.* 104. & 105. qui tamen *num.* 109. id non procedere aſtruit in Xenodochiis, quibus ita favere non oportet, ut creditoribus fiat injuria *arg. l. impuberi* 40. & *l. cùm filius* 28. *ff. de teſtam. milit.* Num verò cogere poſſit monaſterium, vel aliam Eccle-

ſiam

siam sibi adhærentem ad viridarii partem pro se ampliando vendendam, ut possit majorem numerum infirmorum recipere, vide *Reverter. decis. Neap.* 284. *n.* 1. *&* 2. & in *observ. n.* 1.

Alicubi ex incertis plurimum acquirit, veluti in Portugallia, in qua privilegium hospitalis viget, ut reditus operibus piis applicati, si tempore debito non distribuantur, hospitali Regio applicentur, de quo meminit *Pereira decis. Lusitan.* 57. *num.* 1. & in Ordine S. Jacobi hospitalibus certas pecuniarias pœnas, puta in occasione ludi vetiti alearum, applicari scribit *And. Mendo in tract. de ordinib. militar. disquis.* 14. *q.* 7. *n.* 99.

Nec prætereo spiritualia merita ex Ecclesiastico thesauro producta, quia non modicâ æstimatione digna est indulgentia, quo quotidiano potest misericordiæ officio immensus inde fructus comparari, veluti ex ipsis Gregorii XIII. verbis, quibus Pontificia innotescit liberalitas, ibi: *Invisentibus autem infirmos, & præsertim Indorum hospitalia, & alia similia loca pia, ipsis etiam infirmis per se vel alium ministrando, singulis diebus, quibus id fecerint, viginti quinque*: *qui verò ad infirmos accedentes ibi pernoctaverint, quinquaginta dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, ac respectivè concedimus & indulgemus.* Sic in ejusdē Bulla, de qua P. *Didac. de Avendanno in thesaur. Indico tit.* 12. *cap.* 23. *num.* 506. ubi quod ob specialem erga Indos benevolentiam extensio fit ad eorum hospitalia, quanquam Indulgentia obtineri possit cujuscumque infirmi visitatione.

Quorum privilegiorum vigor tantus est, tamque ipsimet hospitali loco nexus, ut renunciatio per ipsos-

ipfofmet hofpites inducta prorfus injufta ac invalida exiftimetur ex ea ratione, quia facilè & modico dato renunciarent *arg. l. cum hi. ff. de tranfact. gloff. fingul. in l. un. C. quando inter pupill. & vid. quam notat Bald. in Margari. in verb. beneficium* 54. *q.* & *in verb. renunciatio* 16. *q. Felin. in cap. fi diligenti* 4. *col. num.* 16. *de fo. compet.* & *Barbat. in conf.* 64. *incip. fcribitur.* 3. *col. vol.* 4. & dicit figendum menti *Rebuff. in tract. de fentent. provifion. art. fin. ubi rationem reddit*, quos citat *Ludov. Meffias in Laconifmo feu Chilonio pro pragmat. qua panis precium taxatur in interior. foro hominis conclus.* 5. *num* 139. *pag.* 93. ubi inquit id applicandum effe ad plures municipales leges habentes inclufa fpecialium perfonarum privilegia, & Hofpitalia, feu Xenodochia.

Quibus omnibus univerfim hofpitale beneficium adeò comprobatum remanet, ut fideles ad illud promovendum jucundè ac folidiffimis rationibus advocentur.

CAPUT VII.

An jure aliquo circa Sacramentorum adminiftrationem & Sepulturam fruatur Hofpitale?

IN utroque omninò jure, tam quoad Sacramenta, quàm Sepulturas plurimùm fulget privilegiata hofpitalis caufa, quod brevi fignificare poffumus. Primum quidem Parochialis effe muneris Divinorum celebrationem ac Sacramentorum adminiftrationem notantes, dummodò aliud lege præfcriptum

non

non fuerit, vel consuetudine introductum ex *Clem.* nostra, *quia contingit* §. *caterùm. ubi* DD. quos sequitur *Hippol. Maya* nuper *observ.* 12. *num.* 209. & 210. quæ consuetudo in eo textu canonicè probatur: quia Hospitalarii regulariter infirmis administrare Sacramenta non possunt, ut consuluit *Menoch. cons.* 948. *num.* 17. sed tantùm ex privilegio, quo casu dicitur Hospitale habere in hoc juris assistentiam, approbante *Rotâ decis.* 348. *num.* 6. *p.* 11. *rec.* Verùm quia jura Parochialia temporis lapsu, favore majoris boni, id est, hospitalis, nonnullam æquum fuit imminutionem pati; Pontificiæ decreverunt constitutiones Hospitalibus esse debere duos fratres sacerdotes pro Sacramentorum administratione. *Ead. Rota d. dec.* 348. *n.* 7. Quod beneficium cum aliqua tamen limitatione prodiit, ne scilicet externis Capella Hospitalis administrare possit Sacramenta, nisi ad hoc speciali Sedis Apostolicæ indulto munita fuerit: neque regulariter sibi permittatur, ut sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum conservare possit, cùm Parochialis non multum distat Ecclesia. Censuit id *Sac. Concil. Congreg.* non semel apud *Nicol. lucubr. canon. lib.* 3. *tit.* 36. *num.* 8. Melius enim hoc forsan modo consultum fuit de utriusque Parochialis & Hospitalis juris conservatione; altero ne nimium privilegiis aucto, alterum minus justè caducaretur.

Ad posteriorem disceptationis partem, quoniam suum non deest publico hospitali cœmeterium, ut patet sensu, dico quòd in eo decedentes ibidem sepeliendi sunt ex latè congestis in *d. decis.* 348. *num.* 10. & 11. ex gratia videnda: in quo tumulandos quoque infantes expositos habetur in *cap.* 1. *de Infir.*

& *Langu.*

& *Langu. expos.* & per *l.* 1. *C. de Infi. expos.* tradit. *Samuel de Sepultur. tract.* 1. *controv.* 9. *conclus.* 16. *n.* 23. At non commiscendi cum aliis Leprosi, quorum peculiaris debet esse sarcophagus, quemadmodum proprium hospitale, de quo infra: Si enim ipsis illicitum est communicare cætera cum aliis jura viventibus, nec fas erit confundere hoc post obitum *arg. cap.* 2. *de Eccles. ædif. cap.* 1. *de conjug. Lepros. not. in cap. sacris de sepultur.* adestque concors *Lapi* sententia in suo *tract. n* 76.

Quia verò extincto quoque vitali hospitum spiritu, sive in hospitali cœmeterio cadavere tumulato, in materia portionis ex mortuariis Parocho solvi consuetæ, quam *funeralem quartam* appellant, dubitandi occasio potest reviviscere: casum hac in re duplicem considero. Primum, si mors fuerit sequuta in hospitali, ibique habitus sepulturæ locus: & tunc exemptio viget hospitalium à Quartæ solutione, cùm potius eam prætendere possit quoad ibi defunctos alibive tumulatos, ita dirimente *Rotâ Rom. dec.* 344. *num.* 20. & 30. *ead. p.* 11. *rec.* quam vide, Et in terminis ardui litigii in Curia Romana conclusum fuit Hospitale S. Joannis Colabitæ non teneri ad reddendam Quartam Parochiæ, ut videre est in *Romana Iurium Parochialium* 3. *Iulij* 1653. & abundè *Passerin. de statu homin. to.* 2. *q.* 187. *a.* 4. *num.* 526. *pag.* 534. ubi etiam de Leprosorum domibus.

Alter excogitatus casus variæ, at non multùm difformis speciei est, si quis apud hospitalariorũ ecclesiam, sepulturam, sive casu, sive ex aliqua pia intentione, sive etiam ut dicitur de facto, elegerit, numquid parochia canonicam debitamque sibi quartæ solutionem prætendere queat. In quibus

cun-

cunctis ac similibus quæstionum articulis communior Doctorum opinio est, parochialem Ecclesiam oblationes aliaque occasione sepulturæ ad ipsam debita exigere jure posse, ut ex clarissimis Interpretum responsis firmat *Lapus ex n. 70. usq; ad 90.* Nobisque tantilla hæc pro lumine inservient, ne imposterum rogati, ex consueto humanitatis infortunio, intellectualiter cæcutiisse videamur.

CAPVT VIII.

Hospitalis regimen penes quem, & quomodo sit habendum.

TAnta, quæ hucusq; explanavimus hospitalium privilegia, infœlicissimo prorsus fato, pedetẽtim corruerent, ni providus quidã vir in eo ad regimen præsideret, qui ad instar firmi capitis, peculiari diligentia ac solertia animalem in cætera corporis membra spiritum influeret, iisque perennes misericordiæ hospitalis fructus derivaret. In nominis urgere quidditate profectò erubesco, sive enim Rector, sive Administrator, sive Hospitalarius, vel potiùs antiquo vocabulo *Parabolanus*, id est minister ad Xenodochia deputatus, de quo est *tit. 2. in Cod. Theodos. lib. 16. cap. 42. & 43. & in C. Iustinia: lib. 1. tit, 3. cap. 17. 18. & 41.* is vocetur, cui loci huius piissimi cura committitur, parùm refert, quanquam hospitalarii vox veluti magis significativa reique affinis arrideat. Illam namque sæculis posterioribus libenter receptam suadet *Chron. Elvvalg. anno 1460. & ann. 1462.* dum cœnobii meminit Elwalgensis in

Eccle-

Ecclesiam collegiatam conversi, in quo hospitalarii tamen officium retentum fuit. Ad rem itaque adverto personæ conditionem jure ac promiscuè acceptam, laicum enim & clericum sacris canonibus probari, ut defendunt *DD. in cap. de Xenodoch. de Relig. domib.* maximè *Panormit. n. 4. Gloss. in nostra Clement. & Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. ibi etiam si prædictorum locorum cura ad laicos pertineat*: ea nimirùm ratione quia sat est quòd viro alicui, sive etiam pluribus viris committatur providis, idoneis ac boni testimonii, qui sciant, velint ac valeant loca ipsa, bona eorum ac jura utiliter regere, & redditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, ex *tex. in præall. Clem. §. autem. Lapus de hospital. n. 22. & Lotther. de re benefic. lib. 3. q. 6. n. 39. & 40.* Immò etiam ecclesiasticum posse committi laico *Rota* deducit *p. 1. divers. dec. 725. ex n. 6.* & sequuntur *Ricc. collect. 1886. & Add. ad Capyc. Lat. dec. 95. n. 18.* præcipuè verò si à laicis fundatum primitùs ac dotatum fuerit, quemadmodum distinguit *Ripol. var. resol. cap. 1. n. 177.* Merè autem laicos dicit *Suarez* latè agens de ipsis *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 28. n. 11. & Rota dec. 115. n. 2. p. divers.* De Religioso non est dubium quòd præfici possit in hospitali, si religio sit ad hospitalitatem instituta, vel hospitale Ecclesiæ curatæ annexum sit, quia attenditur ipsa Ecclesia quæ est principalis *cap. extirpanda §. qui verò. & cap. super eo de præb. in 6.* quam distinctionem post *Card. & Lap.* adversus *glossam in d. Clem. quia contingit* negativè definientem, sequitur *Fagnan. in d. cap. ad hæc n. 50.*

Excipe tantùm fœminam, cui demandari non potest regimen hospitalis, utpotè virile officium, ad

quod fœminæ quæ subesse debent, incapaces existimantur à DD. nisi per accidens foret quædam Abbatissa, quæ tamen per masculos hujusmodi munus obire deberet: vel ageretur de mulierum hospitali, cui non modò posse, verùm & debere illas præfici puto ex quadam honestatis lege, per ea quæ tradit *Card. n. in cap. de Xenodochiis de Relig. dom. q. 5. n. 6. & Fagnan. in cap. ad hæc eod. n. 29. & 30.*

Et si placet altiùs veritatem capessere, plures in memoriam revoco veterum consuetudines. Valetudinaria igitur publica ab alio quàm ecclesiastico moderatore non solita olim regi ex *Chalcedonensi conventu* patet *act. 15. can. 8.* statuente, ut clerici præfecti valetudinariis, qui in cœnobiis, & Divorum Martyrum Basilicis vitam agerent, Episcopali imperio censuræque obnoxii essent: Hinc Pelagius I. in suam Ecclesiæque clientelam ac fidem hospitale, quod Childebertus, & Eutrotta ejus uxor magnis impensis exædificaverant, accepit. In quo munere geminum virorum genus impensum comperio; *Herenachus* nempe qui dicebatur ecclesiasticus ille, qui primæ tonsuræ gradum haud quaquam transibat; censum Episcopi cæteraque Ecclesiæ debita colligebat, partem unam Episcopo, aliam reficiendæ Ecclesiæ fabricæ, tertiam fovendis pauperibus excipiendisque hospitio peregrinis disponens; cui tanquam in stipendium libera cedebat portio terræ ab omnibus præstationibus, quam *Herenaciam* vocabant: *Matricularius* quoque ille scilicet, qui in matriculam seu Xenodochium asscriptus fuerat, idemque ac Xenodochii alumnus, de quo *Hincmar. epist. 7. cap. 35. De Matriculariis*, inquit, *per singulas Ecclesias, juxta facultatem & possibilitatem loci, curam adhibeant*

Ecclesiam collegiatam conversi, in quo hospitalarii tamen officium retentum fuit. Ad rem itaque adverto personæ conditionem jure ac promiscuè acceptam, laicum enim & clericum sacris canonibus probari, ut defendunt *DD. in cap.de Xenodoch. de Relig.domib.* maximè *Panormit.n.4.Gloss. in nostra Clement.& Concil.Trid.sess.22.cap.8. ibi etiam si prædictorum locorum cura ad laicos pertineat*: ea nimirùm ratione quia sat est quòd viro alicui, sive etiam pluribus viris committatur providis, idoneis ac boni testimonii, qui sciant, velint ac valeant loca ipsa, bona eorum ac jura utiliter regere, & redditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, ex *tex.in præall.Clem.* §. *autem.Lapus de hospital. n.22. & Lotther. de re benefic. lib.3.q.6. n.39. & 40.* Immò etiam ecclesiasticum posse committi laico *Rota* deducit *p.1.divers.dec.725.ex n.6.* & sequuntur *Ricc.collect.1886.& Add. ad Capyc.Lat. dec.95.n.18.* præcipuè verò si à laicis fundatum primitùs ac dotatum fuerit, quemadmodum distinguit *Ripol. var.resol.cap.1.n.177.* Merè autem laicos dicit *Suarez* latè agens de ipsis *tom.1.de Relig.lib.4. cap.28. n.11.& Rota dec.115.n.2.p. divers.* De Religioso non est dubium quòd præfici possit in hospitali, si religio sit ad hospitalitatem instituta, vel hospitale Ecclesiæ curatæ annexum sit, quia attenditur ipsa Ecclesia quæ est principalis *cap.extirpanda* §. *qui verò.& cap.super eo de præb. in 6.* quam distinctionem post *Card.& Lap.* adversus *glossam in d. Clem. quia contingit* negativè definientem sequitur *Fagnan. in d. cap. ad hæc n.50.*

Excipe tantùm fœminam, cui demandari non potest regimen hospitalis, utpotè virile officium, ad

quod fœminæ quæ subesse debent, incapaces existimantur à DD. nisi per accidens foret quædam Abbatissa, quæ tamen per masculos hujusmodi munus obire deberet: vel ageretur de mulierum hospitali; cui non modò posse, verùm & debere illas præfici puto ex quadam honestatis lege, per ea quæ tradit *Card. n. in cap. de Xenodochiis de Relig. dom. q. 5. n. 6. & Fagnan. in cap. ad hæc eod. n. 29. & 30.*

Et si placet altiùs veritatem capessere, plures in memoriam revoco veterum consuetudines. Valetudinaria igitur publica ab alio quàm ecclesiastico moderatore non solita olim regi ex *Chalcedonensi conventu* patet *act. 15. can. 8.* statuente, ut clerici præfecti valetudinariis, qui in cœnobiis, & Divorum Martyrum Basilicis vitam agerent, Episcopali imperio censuræque obnoxii essent: Hinc Pelagius I. in suam Ecclesiæque clientelam ac fidem hospitale, quod Childebertus, & Euttotta ejus uxor magnis impensis exædificaverant, accepit. In quo munere geminum virorum genus impensum comperio; *Herenachus* nempe qui dicebatur ecclesiasticus ille, qui primæ tonsuræ gradum haud quaquam transibat; censum Episcopi cæteraque Ecclesiæ debita colligebat, partem unam Episcopo, aliam reficiendæ Ecclesiæ fabricæ, tertiam fovendis pauperibus excipiendisque hospitio peregrinis disponens; cui tanquam in stipendium libera cedebat portio terræ ab omnibus præstationibus, quam *Herenaciam* vocabant: *Matricularius* quoque ille scilicet, qui in matriculam seu Xenodochium asscriptus fuerat, idemque ac Xenodochii alumnus, de quo *Hincmar. epist. 7. cap. 35. De Matriculariis*, inquit, *per singulas Ecclesias, juxta facultatem & possibilitatem loci, curam adhibeant*

bibeant (*ministri Episcoporum*) *ne presbyteri pro locis matricula xenia accipiant; ne suos parentes sanos ac robustos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipsis matricularis exigant, non de Matricularis bubulos aut porcarios faciant, sed pauperes ac debiles, & de eadem villa, de qua decimam accipiunt, matricularios faciant*, de quibus eruditiss. *Spelmann. in suo glossar.* Pluries verò egregia hospitalia per inclytos fundatores ecclesiasticis in regimen tradita demonstrant annales, quo in labore non modicè processere milites S.Joannis, ideoque ipsorum præ aliis curæ Posnaniæ hospitale à Miecislao III. Poloniæ Rege exstructum refert *Cromer. in histor. Polon.* fuisse commissum: & videmus quòd inter præcipuas hujus militaris ordinis dignitates, Hospitalarius est, qui linguæ Franciæ inter Bajulivatus conventuales connumeratur, atque ad eam ob benemerentiam eligitur. Nos id supra tetigimus, & ad majus robur *decis.* addimus hîc *Rota Rom.* coram Coccino 1168. juxta *noviss. impress.* ubi *num. 3.* quòd ab eo hujusmodi potest officium dimitti, aliudque ante alios Hospitalarios obtineri.

Videmus autem quòd magnatibus & proceribus præcipua hospitalis juris cura plurimùm debet, dum hospitia olim à Præsidibus in provinciis coli consueta scribit *Sigon. de antiq. jur. provinciar. lib. 2. cap. 5.* & posteriori ævo ad Principes devolutam *Menoch.* testatur *consf. 1025. n. 9.* sed nunquam per Episcopalis juris iniquam extorsionem, quam Acatholici tueri conantur apud *Fritsch. in cit. diatrib. hospital.*

Sic hodie in Gallia Xenodochiorum quorundam regimen Præfectis, & oppidorum Decurionibus adjudicatum *Renat. Choppin.* adfert *de jure Cœnobitar.*

*bitar.lib.2.pag.*214. Imò in eo Regno ad Magistratus demandatam hospitalium curam Episcopis vel Vicariis in ea negligentibus, *constitut.Francisci* I. statuentis, ut in prima instantia curia suprema senatus de causis hospitalium, & pauperum, ob personarum privilegium, cognoscat; & alibi non est anceps *Tholos. syntagm. p.2. lib.*15. *cap.*28. *n.* 42. & in Regno Neapolitano Hospitaliorum, & confraternitatum electio ad universitates spectare *Capiblanc.* affirmat *de Baron. prag.* 10. *n.*158. Mediolani magnum hospitale à secularibus, & Metropolitano administrari vult *Menoch.cons.*1025 *n.*11. Barcinonæ generalis hospitalis administratio ad capitulum & sæculares administratores æqualiter pertinet. *Ripol.var.resol.d.cap.*1.*n.*504. Neapoli incurabilium hospitale subjacet Correctori, qui Pontificalibus utitur insigniis, & post Divinorum officiorum solemnia, populo benedictionem impartitur, dummodò aliquis Antistes, vel Sedis Apostolicæ Legatus ibi præsens non sit, vel minimè dissentiat, ut his verbis describit *Pyrrh. Corrad. in praxi dispens. Apost. lib.*7.*cap.*4.*n.*65. Alicubi verò favore studiosæ juventutis præsunt Religiosi Societ. Jesu, veluti in Academia Eborensi, in qua tum hospitalis collegii Purificationis, tum Regii Nosocomii pro ægrotantibus scholasticis ii Patres cum amplissimis clausulis vigore Bullæ Gregorii XIII. expeditæ anno 1578. ampli Administratores sunt *Pereira in sua Republ.literar.lib.*10.*q.*2.*n.*1678. cujus proventuum residua portio, nisi in ægrotos expenderetur, applicanda est collegio Spiritûs Sancti suprad. Purificationis collegio unito ex *eod.q.*3.*n.*1688.

Si quæras cuinam meliùs cura hæc demandetur,

laicis nempe vel clericis? Favore laicorum re-
scriberet *Gambar. de poteſt. legati lib. 4. tit. de poteſtat. legati in commendando beneficia n. 269. & pluribus ſeqq.* & poſt eum *Amyden. de ſtylo Datariæ lib. 1. cap. 15. §. 5. n. 40.* ex eo, quia laici perfectà adminiſtrant charitate hoſpitalium, aliorumque locorum piorum bona tanquam Deo ejusque pauperibus debita, in quo minùs rectè videntur ſe gerere clerici, qui ab adminiſtratione & viſitatione facilè in commendas labuntur. At *Anton. Mornacc. obſervat. in lib. 1. Cod. tit. 3. lege 33.* favore utrorumque videtur ſentire, caſum referens diſceptationis in majori auditorio inter municipes Rhemenſes, & Eccleſiæ illius Canonicos anno 1612. 3. Decemb. utrum his vel illis committenda foret urbici noſocomii cura, quod triginta ſeptem millium eſt annui reditûs: cenſuitque Senatus ad majorem ſubſtantiæ pauperum tutelam, neve quid alio rſum indefenſis contingeret, adminiſtratores eligendos eſſe conventu habito omnium tam eccleſiaſticorum, quàm ſæcularium, ab eisque qui fuerint electi cautionem dandam. Nobis tamen expertis difficulter utrosque inſimul concordandos, ex præfatis rationibus prior magis placet favore laicorum ſententia. Jurisdictio quoque aliquando unita regimini, ut in nonnullis Galliarum locis, in quibus ſunt Xenodochii, & Regii Judices, & magni eleemoſynarii, qui pro partium placito adeuntur, indigitante *Molinæo ad cap. 3. de Relig.*

Sed quicquid ſit de vario, pro loco ac tempore, perſonarum regimine, ſummam apud veteres laudem promeruerunt egregii duo illi Hoſpitalarii Pammachius & Macarius, quorum primus defun-

&a uxore cunctas facultates in pauperum gratiam erogavit, ac in Romano portu, in quo exstruxerat hospitale, christianam charitatem admirabiliter exercuit, ut post *S. Hieron ep.* 16. *& Card. Baron. ad annum Christi* 398. nos ipsi superius retulimus. Alter singularis mansuetudinis ac patientiæ vir, Xenodochio apud Alexandriam ita præfuit, ut nulli eorum inferior videretur, qui solitudinis secreta sectati fuerint, judicante *Cassiano collat.* 4. *cap.* 4. Nec minus inter recentiores Aymericus Guenaudus natione Gallus, genere, scientia ac moribus præstans, legum professor ac Regius Consiliarius qui in Hospitio Regio Magni Requostarum magistri per lōga tempora officium exercuit, & deinde septuagesimus primus Antissiodorensium Episcopus, de quo meminit *P. Labbe in Histor. Episcop. Antissiodorens. to.* 1. *Biblioth. manuscript. cap.* 71. *fol.* 510. Hodie verò tanti fit officium istud, ut dignitatis lumine in pluribus Ecclesiis fulgeat, quemadmodum exemplo Cæsar-Augustanæ & Pampilonensis probat *Frances in tract. de Eccles. cathedral. cap.* 27. *n.* 137.

Ejus deputatio, juxta communiorem praxim, ad Episcopum spectat, ut ad *tex. in cap. de Xenodochiis citat.* DD. defensant, maximè *Hostiens. Io. Andr. & Butrium qui n.* 2. hæc habet: *Nota argumentum quod super creatione administratoris vel Rectoris hospitalis Episcopus fundat intentum de jure communi: inferior ergo se non intromittit; & sic hospitalia sunt in administratione Ecclesiæ eo quod sunt hospitalia.* Intelliguntur hæc tamen consuetudine vel privilegio legitime favore laicorum præscriptis, qui equidem possunt hospitalia administrare, sed Episcopo rationem, ut diximus, reddere tenentur, nisi etiam in hoc Apostolicâ munifi-

centia fuerint privilegiati : imo regulariter non possunt laici hujusmodi administrationem suscipere nec susceptam deserere absque licentia Diœcesani, ut discurrit *Fagnan. in cap. admonet de renunc. n. 16* In qua electione cavere debet ut cæteris præferat viros in charitate perfectos, benignos, mites, misericordes, ætate maturos, Deum timentes, præcipue castos pænesque se nullam retinentes mulierem, ne Domus Dei fiat malorum hominum prostibulum ut ex *D. Anton.* sensu *in summa 3. p. tit. 11. cap. 1. §. 1. Isid. Moscon. de Majest. milit. Eccles. lib. 1. 4. p. cap. 26.*

Non solùm autem Hospitalarius dari potest qui administrator sit cum officio perpetuo in his hospitalibus, quo casu minor ei congrua assignanda est, quàm si beneficio frueretur, ex hospitalis nempe bonis, ut declaravit *Rota dec. 714. n. 7. cit. p. 1. divers.* & *dec. 442. n. 5. to. 2. in posth. Farinac.* Verùm hospitalia duo vel tria potest unus tenere, curatasq; Ecclesias sibi annexas possidere ex eâ ratione, quia accessorium sui principalis naturam sequi debet *cap. accessorium de reg. jur. & cap. super eo de præb. in 6.* per Vicarios tamen perpetuos animarum cura debet regi, ut post *Guilielm. de monte Lauduno in clement. per litteras n. 6. & 7. & Petr. de Ancaran. in ead. Clem. n. 4.* explicat *Ansald. de jurisd. p. 2. tit. 11. cap. 13. n. 60.* quo ad ministerium tutoribus videtur assimilandus per ea quæ tradunt *Abb. cons. 104. in fi. lib. 1. & Card. Tusch. conclus. 169. lit. H. n. 2. & 6.* quo verò ad dignitatem Prælato collegiatæ Ecclesiæ haud incongruè comparandus ex *Magon. decis. Flor. 61. & 62.*

In ætate placet ea distinctio, quod si hospitale in beneficium concedatur, Hospitalarii quatuor decimus in assumptione annus erit *cap. si annum de judic.*

lit.6. Si verò alias administratio sibi concedatur, vigesimus saltem quintus requiretur ad *tex.in l.fin. C. de legit. tutel. Fusc. ex plurib. de visitat. cap. 13. n.11.& Pax Iordan.elucubr.divers.p.2.lib.10.tit. 20. nu.105.* ante verò proximioribus agnatis vel consanguineis administrationem deferendam judicavit *Menoch.de arbitr.lib.2.cap. 150. n. 23.* ætate autem completâ ipsi restituendam per *tex.in l.non solum ff.de excus. tutor.& Gloss.in §.item propter adversam valetudinem instit.de excus.tutor.Escobar de ratiocin.cap.6.n.52.* optimè *Narbona in tract.de ætate ad omnes human. actus requisita ann.25.q.28.n.20.& 21.* Imo in ea etiam assecuta ætate, poterit per alios ministros hospitalitatem exercere, ut in Metropoli Cæsaraugustana fit per majorem domus, teste *præd. Frances n 150.* quo casu distingui videtur Hospitalarii sive actu hospitalitatem in loco publico exercentis & Rectoris, sive ibidem præsidentis officium, in eoque sensu nonnulli fortasse vim faciunt Doctores, quod nobis minimi est momenti, dum dignitatem cum administratione junctam intelligimus. Et inter varias de ipsius duratione sententias, dum alii perpetuum esse debere contendant cum *Felino in cap. de quarta de præscript. n.11. vers. 2. Declarat. 0.* alii triennalem, ut defendat *Ciarlin.sæpè cit.controv.n.53.* ex *Concil Trid.* dispositione *sess.22.cap. 8.* posteriorem præferimus non modo ex reverentia venerabilibus Patribus debita, quibus contradicere nefas est, sed ex potiori ad publicum bonum annuorum magistratuum jure, veterum exemplo, de quo alias, Deo favente, fusius exarare meditamur. Possunt ad libitum honesta veste incedere, nisi sint clerici à quibus clericalis erit habitus deferendus ex *decis. Rota. Bononien. divers. 92.*

ubi plura, vel sit peculiaris vestis usitata, ut à cæteris, sive in publicis, sive in privatis actibus distinguantur, quemadmodum pluribus in locis in quibus vestem prorsus Episcopalem deferunt: pluresq; jurisdictionis actus exercere valent juxta privilegia & consuetudines, nunquam tamen parochialibus permissis, veluti est associatio cadaverum in eorum hospitali decedentium, si alibi tumulandi sint per *Rota decis.* 348. *n.* 32. *p.* 11. *rec.* Quod si in commissione tantum ii habeant hospitale, poterunt tanquam meri laici uxorem habere, nulla litteraria indigebunt facultate, neque ad horas canonicas recitandas tenebuntur, contrarium namque obtinentibus in beneficium necessum erit, ut edisserit *Lapus n.* 46.

Et quia diximus esse ad instar Tutorum & Curatorum, annuentibus quoque *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 4. *n.* 8. *& Amyden. de stylo Dataria lib.* 1. *cap.* 15. §. 5. *n.* 8. Debent ante omnia juramentum in superioris manibus, vel in comitiis coram electoribus, si sit eo modo consuetum, præstare se utilia facturos inutiliaque prætermissuros hospitalibus, quibus deputantur, ipsorum etiam res & personas ad commodum & utilitatem ipsorum bona fide custodituros, ac in usum miserabilium personarum conversuros, quemadmodum inventarium facturos rationemque suo tempore reddituros, similiaque consueta: ad quod juramentum cogi poterunt per ordinarium, & si fuerit prætermissum, dubium erit quin sit irrita commissio, ut ratiocinatur *Lapus n.* 30. *& duob. seqq.* Nec juvat excusatio quæcumque. De Inventario autem seu rationum libro omnino non omittendo juxta dispositionem *tex. in d. Clem. quia contingit ubi Imola n.* 18. & Rotæ *resolut. dec.* 302. *n.* 3. *p.* 2.

in noviss. & apud Farinacc.p.1.dec. 540. n. 4. egregiè Rebuff.in tract.de Hospitibus tit.de la taxation.des vivres des hostellier in lib. Commentar. in constit. Regias. estque certum, quod is debet continere data & accepta, ex qua causa, & nominatim qua die, alias non proderit, ut ex Rota Nicol.lucubr.jur.can lib.3.tit.36. plures sacræ Congreg.resolutiones afferens; nec ante præstitum juramentum & confectum inventarium posse administrationem suscipere Paul.de Cas. notat in praalleg.Clem.quia contingit. Non tamen ulla satisdandi lege adstringuntur l.Orphanotrophos C.de Episc. & Cler.ibi Bald. n. 1. in 2. notab. Pet. de Ravenna sing. 252. & Lotter. ubi supra n.38. ex communi interpretatione, quam non ubique admitti, etsi utilissimam ad multorum administratorum fraudes vitandas existimat Fritsch.cap.6.n.22.

Ad rationem autem reddendam Episcopo debent esse prompti & parati singulis trienniis si officium sit perpetuum, alias in fine si triennale sit ex Concil.Senon.de visitat.cap.29.& p.11.cap.7.& ex Trident.ubi mox, & per Borell.in summa decis.Neap. to.3. tit.18.n.19. dummodo aliter in fundatione cautum non fuerit, ut quandoque quod laico judici reddatur teste Papon.lib.1.Arrestor. Francia tit.5.art. 52.& Francicis edictis magistratui, de quib. Giballin. in de univers.rer.humanar.negotiat.p.2.lib.4.a.1.n.16.& juxta superius à nobis explicata. Imo quod Episcopus sibi subjectos quotannis ad rationes reddendas cogere possit, scribunt Cardin. in d.clem. quia contingit n. 7. & Io.franc.Pavin.de visitat.q 5.2.p.n.42. estque expressum in eod.loco Trident. & male administrantes, quod possint ad id cogi ab Episcopo, non obstante fundatoris prohibitione tuetur Fagnan.in d. c.ad hac

nu. 59. At sufficit, quod requisiti id faciant. *Gloss. in d. Clem cap. cupientes de elect.* §. *si verò* & *Lapus nu.* 33. & à sacr congreg. resolutum ostendit *Nicol. ubi proxime.*

Quod, ut favore Hospitalis quam citius agi queat, sciendum interim cuncta Hospitalarii bona hypothecata sibi remanere pro administrationis ratione, pro reliquato, ac pro mala administratione ad instar Tutorum & Curatorum pro pupillis. *Negus. de pignor. memb.* 1. *p.* 2. *princ. n.* 123. *Munnoz de ratiocin. cap* 39 *n.* 13. aliique *apud Merlin. de pignor. & hypoth. lib* 3 *q.* 2 *n.* 18. cum prælatione ad formam Ecclesiæ, ut inquit *Gait de credito n.* 2038. *quæsit.* 11. *cap.* 4. Ex eo quia pauperum bona iisdem gaudeant privilegiis quibus bona Ecclesiæ. *Tex. in l. omnia privilegia C. de sacros. Eccles.* §. *œconomos auth. de sanct. Episc.* in quo corrigitur *l. Orphanotrophios* 30. *C. de Episc. & Cler.* ubi sancitum *in fi.* fuerat quod ad id minimè teneretur: & *Cravett. cons.* 223. *n.* 3. *p.* 2. Ad quod laudabilis est valde Saxonica ordinatio, ut Hospitalarius hospitalis bona non conducat, alienisque officiis non oneretur, quam refert *Fritsc. d. cap.* 6. *n.* 23. & 24 quibus modis muneri suo attentius incũbet.

Hoc acto debetur ipsi congrua portio, non tantum pro sua sustentatione, sed & pro servanda hospitalitate, ut docuit *Bellett. disquis. Cleric. p.* 1. *tit. de Cler. debit.* §. 15. *n.* 10. quod intelligendum nisi hospitale annuos habeat redditus ex ratione cessante legis *cap. cum cessante de appell.* dicit *Frances de Eccles. cathedral. cap.* 27. *n.* 146. Semper vero, ultra victum & vestitum quod à jure sibi conceditur tam pro se quam pro ejus familia per ea quæ tradit *Surd.* plures referens *de aliment. tit.* 4. *q.* 24. *n.* 15. adeo ut si quid æris alieni pro alimentis hujusmodi contraxerit,

non

non hæredem ipsius, sed hospitale dissolvere teneri consuluerit *Roman. cons.* 440. *sub. num.* 4. *vers. ex his ergo.* & probaverit *Lotter. ubi suprà num.* 33. Crederem sibi suisque deberi domum ac medicamenta ex fortiori charitatis objecto, si enim aliis ea ministrari curare debet, quantò magis met sibi?

Inter facultates autem, quibus munitur, est ea, compositiones & pacta faciendi, ut *ad l. item magistri. ff. de pact. Bimius cons.* 275. *num.* 40. Hinc absque dubio in contractibus obligare potest hospitale juxta egregiam *Rotæ decis.* 611. *per tot. p.* 1. *in posthum. Farinacc*: & in præjudicium, sive se, sive domum suam alteri religiosæ domui subjicere. *Fagnan. in cap. recolentes num.* 14. *&* 46. *vers. ad tertium de statu monach.* Sed an cedere possit jura hospitali relicta, vide *Rot. dec.* 30. *p.* 3. *in noviss. divers.* & *Oleam de cess. jur.* Potest quoque in hospitando ac eleëmosynas largiendo sibi conjunctos aliis præferre *tex in cap.* 1. *de cohab. cleric.* & clarius *Lapus. num.* 58. Quibus præcisis pauperes omnes absque distinctione piè inquirere ac recipere debet, sicut Abraham ex *cap. quiescamus* 42. *dist. Moscon. de Majest. milit. Eccles. ubi suprà*: at non potest institutionis ordinem pervertere seu confundere, ut si hospitale individualiter deputandum sit ad certos pauperes excipiendos, illicitum existimatur aliam electionem facere *ab eod. Lapo n.* 59. *&* 69. qui *n.* 74. quoad eorum numerum, inquit, se facultatibus conformare debere. Ipsique ut faciliùs pecunia in pio opere impendenda perveniat ad manus, captura conceditur contra Hospitalis debitores, non ut caveant, sed ut solvant, ut tradit *Ianninius de cita. Reor. lib.* 3. *cap.* 191. *num.* 1. quo casu fidejussionem nullius esse momenti ad libera-

berationem è carcere astruit *Viloffa in tract. de Fugitivis cap.* 19. §. 3. *n.* 98. Ii enim debitores damnatum hominum videtur genus, quemadmodum olim *Cassiodor. lib.* 12. *epist.* 13. Quare semper cautè agat in augmento & erogatione pecuniæ, non enim fructus facit suos etiam à solo separatos, ut vult *Raudens. var. resol. cap.* 72. *n.* 6. nec potest, si perpetuus sit, liberè de reditibus disponere ex *Pasqualig. quæst. moral. canon.* 319. *centur.* 4. multò magis in rebus ambitiosis, & Hospitalitatem non concernentibus, quod sacri vetant canones, quia si, deductis expensis, supersint, in hospitalis utilitatem erogari debent. *Negusant. in respons. q.* 166. *n.* 14. & 17. Si verò sibi quærat, locum habebit præsumptio, id factum de hospitalis bonis per *Vasqu. controv. illustr. cap.* 105. *n.* 33. Undè videtur quodammodo interdicta Administratorum ad gradus promotio secundùm *D. Gregorij* sensum *in epist. decret.* 10. *tom.* 2. *fol.* 501. *lib.* 11. ubi ad Senatorem presbyterum ita scribit: *Nihil ex Xenodochio, etiam sub piarum rerum occasione, auferendum, seu ordinationis causâ. Unde Abbas hujus Episcopus eligi non potest, ne res Xenodochij iniquâ erogatione consumens, gravissimam egestatis necessitatem pauperibus ac peregrinis, vel cæteris exindè viventibus generet, &c.* Nullo itaque modo istorum locorum reditus per ipsum fraudandi sunt, ut sacrilegi adinstar Judæ, titulum inhonestum effugiat juxta *Concil. Colon.* 2. *p.* 11. *cap.* 7. decisionem: quapropter in conscientia tenetur ad fructus contra institutionem hospitalis perceptos absque remissionis ulla vel compositionis ope, declamantibus Concil. Trid. Patribus *sess.* 25. *de reform. cap.* 8. cùm anathemati Summo Pontifici reservato, quamdiu reditus, quos

occu-

occupaverit, integrè restituerit, subjaceat ex *eod. Concil. sess. 22. cap. 11.* Et negligentia quoque in infirmi cura, cujus indè sequatur mors, irregularitatis pœnâ adversùs Hospitalarium, qui in causa fuerit, punitur teste *Vgolino in tract. de Irregularit.* probatissimâ semper pro exemplo remanente Urbani Papæ V. providentiâ; qui ad supinam Rectorum negligentiam eliminandam, & pauperibus fructuosiùs indulgendum, omnes hospitalium Rectores; exceptis militarium aliorumque Ordinum, cassavit atque irritavit, ut ex *Lapo* referente constitutionis verba innotescit *num. 90. & plurib. seqq.*

Cavere item debent Administratores hujusmodi, ne pro eleëmosynis mittant cruce signatos falsò, ne in pœnas illabantur ipsi prædicationis officii inhibiti, missique excommunicationis si laici sint: si verò Clerici, ab officio ac beneficio suspensionis, monente *Fagnano in cap. tuarum. nu. 1. de privil.* Ne medici & chirurgi docti atque expetti deficiant, ut ægrotorum corporibus sit consultum, quemadmodum Aromatarius cum selectis omnium pharmacorum utilium generibus, & cæteri ministri, qui ex hospitalibus reditibus mercedem haurire debent, aliàs inservire non tenebuntur. Probat idem *Fagnan. in cap. venerabili de censib. n. 38. 40. & 41.* ubi quicquid iis erogatur, in pauperum usum erogari dicitur. Plura autem ex præfatis *D. Gregor.* duabus periodis complectitur, dum *Ianuario Episcopo Caralitano to. 2. epist. decret. fol. 136.* scribens: *Significamus, inquit, perveniße ad nos, consuetudinem fuiße, ut Xenodochia, quæ sunt in Caralitanis partibus constituta, apud Episcopum civitatis singulis quibusque temporibus suas subtiliter rationes exponerent, ejus videlicet tuitione atq;* *soli-*

ſolicitudine gubernanda. Quod quia tua hactenus fertur charitas neglexiſſe, hortamur, ut, ſicut dictum eſt, tibi ſingulis quibuſque temporibus rationes ſuas Xenodochi (ſic appellabantur Hoſpitalarii locorum advenis deputatorum) *qui in eis ſunt conſtituti, vel fuerunt, ſubtiliter reddant. Atque tales in eis præſint, ordinentur, qui vitâ, moribus atque induſtriâ inveniantur eſſe digniſſimi: religioſi dumtaxat, quos vexandi judices non habeant poteſtatem: ne ſi tales perſonæ fuerint, quas in ſuum poſſint evocare judicium, vaſtandarum rerum debilium, quæ illic rejacent, præbeatur occaſio: de quibus rebus ſummam te curam gerere volumus, ut nulli ſine tua licentia detur notitia, ne uſque ad direptionem earum, ex fraternitatis tuæ perveniatur incuria.* Quæ verba nullis prorſus indigent ſcholiis.

Oneri nihilominus honor videtur favorabiliori lance præponderare, quia Eccleſiaſticæ perſonæ Hoſpitalarii largo quodammodo reputantur definiente *Sperell. deciſ. 2. num. 24. & 45. tom. 1.* etiam exempti intra limites præfatos, & pro neceſſaria, & continua loci pii vigilantia Epiſcopo ſubjiciuntur, de quo vide *Chokier de Iuriſd. in exempt. p. 1. qu. 31.* Pluribus in locis immunitate univerſaliter fruuntur, ut Canonici Hoſpitalis Pariſienſis ex *Papon. lib. 5. arreſtor. Franciæ tit. 11. artic. 3.* Decimas laborum ſuorum non ſolvunt, nec eorum, quæ propriis colunt manibus, vel propriis ſumptibus, dummodo ante generale Concilium quæſita ſint, etiam ſi novalia ſint *cap. ex parte. & cap. 10. de decim.* verùm de poſtea quæſitis ſolvunt *cap. penult. de decim.* notat *Tholoſ. ſyntag. jur. p. 1. lib. 2. cap. 24. num. 7.* qui de Oeconomo *lib. 15. cap. 40.* quod aptàri poteſt: & plura privilegia iis circa decimas conceſſa vide apud

pud *Suarez de Relig. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 5. Item sunt de foro Ecclesiæ, si habitum religiosum deferant, ut fusè *Marta* etiam videndus *de jurisdict. p.* 4. *centur.* 2. *cas.* 113. *à num.* 28. & *Fagnan. in cap. nullus. num.* 72. *& seq. de foro compet.* An verò privilegio fori gaudeant ultra diversam à laicis vestem, vel aliquod exterius signum, puta crucem, ut possint ab aliis dignosci, debent concurrere fundatio eorum hospitalis auctoritate Episcopi, & quod ipsi in ejus manibus castitatem, & uxore mortua vitam cælibem voverint, ita concludentibus *Felin. in cap.* 2. *de fo. compet. ibique Panormit. & aliis. Barbat. de restitutor. interd. super pragmat. de assistent. gloss* 3. *n.* 29. *Macerat. late var. resol* 14. *l.* 1. *per tot. & signanter n.* 6. *Diana p.* 3. *tract.* 1. *resol.* 66. *& Nicolio lucubr. jur. can. lib.* 5. *tit.* 39. *n.* 107. *vers. amplia nono.* qui nonnullos inquit arbitrari etiam laicos ab Episcopo ad hospitale regendum deputatos absolute ac indistinctè privilegium fori gaudere.

Dupliciter dubitari hic posses. Primo an hospitale per virum alias idoneum præscribi vel haberi in proprietate possit, juxta sancita *in cap.* 2. *de eo qui mitt. in possess. causa rei serv. lite non contest.* & Lapus *n.* 75. respondet affirmative, addens quod tunc regetur per custodem vel familiarem Ecclesiæ vel loci, qui hujusmodi præscripserit hospitale, putans quod possit competere ponere ac removere hospitalarium ad alterius prælati nutum eadem ratione, quia & de Ecclesiis hoc dicimus *in Clem. de suppl. neglig. prælat. quia regulares & in cap. cum singula. de præbend. in* 6. imo fortiori ratione.

2. Dubitans inquires ex hoc prorsus, utrum Hospitalarius regulariter queat removeri? Et respon-

deo

deo de jure institutum esse, etiam sine causa, ad patroni nutum removeri posse, quanquam *gloss.* anceps ferit *in d. Clement. quia contingit* §. *ut autem de relig. domib.* sed consule *Calderin. inter cons. canon. divers. tit. de relig. dom. cons. 2.* Non potest autem hæc remotio fieri si fuerit à Pontifice impetratus cum mentione de testatoris voluntate, in quo etiam adhæreas *eid. Calder. cons. 3. ibid.*

Plura de Regimine Hospitalis vide apud *Paleot. in Archiepiscop. Bononien. 5. p. cap. 5. §. 8. ex fol. 396.*

Alia præcipua Hospitalarii obligatio statim explicabitur in sequenti.

CAPUT IX.

Hospitalia dirui an possint de jure; & quomodo reparanda.

SUmmaria in hoc resolutio, quia si de privatis loquamur Hospitalibus, nullum jus vetat, quin ea dirui valeant, acceditque ratio humanæ pedissequa voluntatis, quæ in varios ad mortem usque actus dilabitur, & quandoque pro horis diei alternis vicibus excurrit. Vide in puncto *Sylv. verb. loca n. 3. & 6. Panormit. in cap. abolendæ de sepultur. & in cap. ad hæc, atque Roman. cons.* 477. *n.* 1. Posse autem ad libitum claudi ab eo qui illa privatim aperuit *ad glos. in clem. nostra quia contingit* §. *fin. verb. altare* dixit *Comitol. dec.* 94. *n.* 2. Quod mortuo fundatore, ex præsumptione quadam voluntatis erga hospites humanissimæ procedentis, cujus executio saltem in dubio inter Episcopalia versatur jura, haud quaquam præter fatorum communium eventus contingere datur.

Sin

Sin autem de publicis sermo sit, ex providentia quidem juris nostri, tum hominum culpæ, tum casui consultum sapientissimè comperio; illi scilicet per Ordinarium cogere debentem eos, qui ad eorum aliàs restaurationem tenentur. *Fusc.* probat *de visitat. cap. 13. n. 9. & Rebuff.* indicat *in praxi p. 2. tit. de Commend. n. 15.* Huic, tam per Hospitalarios potissimùm, qui eas ædes ruinis deformari permittere non debent, sed reficere: *ex Negusant. resp. 166. n. 14. & pluribus seqq.* videndo: quàm per Episcopos ac Principes seu Regios magistratus, quorum sedulis officiis reparationem tempestivè procurandam scribit *Renat. Choppin. Monastic. lib. 2. pag. 308.* ubi ad rem narrat, quòd in vetusto Hebræorum Principatu Joas Rex votivum peregrinorum æs perlibenter tulit, quod in sanctam Numini ædem inferebatur, à Sacerdotibus colligi, & hac lege tractari, ut sartum tectum *Domini* fanum, ejusque restaurationi necessaria procurarent. Sic per fratrum Regum discordiam quædam antiqua hospitalia in nihilum redacta, Carolo Regi ut repararentur mandatum fuit à *Concil. Meldcn. cap. 40.* Et nuper inter præcipua Magdeburgensis Visitationis decreta, illud admodum commendandum enumeratur de cura adhibenda, uti Hospitalia in bellicis calamitatibus destructa ac diruta iterum extruantur, bona alienata seu ablata eis restituantur, eaque novis reditibus dotentur *Fritsco* referente *cap. 5. n. 18.* Damnanda enim plurimum foret culpata, absque vindiciis ullis, domorum hujusce generis religiosarum etiam vetustate collabentium ruina: &, non reclamante jure, crudeliter plane pauperum neglecta cura.




ABB. JO. BAPT. PACICHELLII COMMENTAR. DE IVRE HOSPITAL.

LIBER IV.

De vario ac specifico posterioris ævi Hospitalitatis incremento.

CAPVT I.

Pauperum ac Peregrinorum cura quandocumquè fidelibus commendata. Qualiter hæc in Xenodochiis exculta.

STatum ac regimen ædium hospitalium, tum ad theoriæ, tum ad praxeos normam, juridicâ quâ potuimus eruditionè generice sive universaliter prævio libro circumegimus. Est modo autem ad particularia transeundum, ad complures scilicet locorum species, in quibus humana hæc benevolentia quâ exteris, quâ indigenis, & bene vel malè valentibus pro varia ætate ac fortuna summo studio in orbe Christiano, ac inter barbaros alitur atque auge-

augetur: quod in singulis libri hujus capitibus libenter aggredimur.

Præstantiam ac necessitatem pauperum & advenarum curæ in Republica, priscorum testimonia sapientum egregie ostendunt, qui communi eam calculo commendatam habent. Præclarissimos exhibeo textus è Comicorum sententiis apud *Menandr. cap.* 74. ibi: *semper censentur pauperes esse Dei*, ubi ad Christianorum formam videtur consulere, & ab Aristophanis Interprete in Plutum qui *mos erat*, inquit, *antiquis Græcis panes & alia quædam divites ponere per singulos Hecatæ, & hinc accipere pauperes; ex sacris enim vivebant & pauperes.* Sic Nervæ jussu Senatores olim delecti, qui agros emerent dividerentque egenis, cum annonam iis universim dispensandam *lib. 1. bell. civ.* Appianus asseruisset.

Frequentissimum quoque de hoc divinum in sacris paginis legitur præceptum. *Deut.* 16. & *omnino indigena & mendicus non erit inter vos.* Tobiæ 12. *qui faciunt eleemosynam & justitiam saturabuntur vita.* Prov. 14. *qui miseretur pauperis beatus erit*: Psal. 9. *tibi relictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* & Christi Servatoris *Matth.* 20. qui nequit fallere dum ait: *quicumque dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam*, & quousque apud nos vixit, opere interrupto ac sermone similiter prospexit. Vide in *cap.* 14. *Marci v.* 7. concors enim Evangeliorum harmonia pauperum & mendicorum procurationem Dei causam astruens.

Inde Patres, & sanctissimi viri opportuna fuxerunt consilia, dum in similes abierunt sententias, quarum aliquas notabo. *Fœcundus est ager pauperum*

inquit August. de verb. Dom. *citò reddit donantibus fructum. Via cœli est pauper, per quam venitur ad Patrem, incipe erogare, si non vis errare.* Hieron. *Pars sacrilegij est rem pauperum non dare pauperibus. Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia.* Chrysost. 1. ad Tim. hom. 14. *Pauperes sunt medici vulnerum tuorum, manus eorum tibi medicamenta præstant. Non ita ut medicus medicamenta imponat, extendens manum curationem exhibet: ut pauper abs te accipiat porrigens manum: dedisti pecuniam, peccata exuisti.* Inter quorum monita non vulgare illud est de sacra Ecclesiæ supellectili, vasisque sacris alienandis, & comminuendis ad pauperum necessitati consulendum, quod in D. Francisci Assisiatis legitur regula, & pluribus exemplis confirmat *Laur. Beyerlinck in theatr. vitæ hum. tit. de eleemos.* Id forte fuit desumptum ab eo, quod in tractatu quodam *Thalmud. cap.* 1. habetur de Monbaz Rege, qui suos Patrumque suorum thesauros prodegit; monitus verò super eo ab amicis, respondit: Patres mei recondiderunt thesauros infrà, hoc est in terra, ego suprà, hoc est in cœlo. Item recondiderunt in loco ubi non dominatur animus, ego recondo in loco, ubi non dominatur manus. Patres mei recondiderunt quod nullum fructum profert, ego quod fructum profert. Patres mei recondiderunt aliis, ego mihi. Nec pauci horulas in eo labore fœliciter insumptas existimarunt, quorum in numero Dorotheus ille Ægyptius monachus pauperrimus, qui ex lapidibus collectis quotannis habitaculum ad excipiendos hospites exstruebat, nec non Archiebius Eremita inops, sed Macedone beatior Alexandro, qui propria se exspoliavit cellulâ, & pluries

mona-

monachis adventantibus illam cessit. Primum scribit *Volater. 21. Anthrop.* Alterum *Fulgent. lib. 4 cap. 5.*

Experientia quoque ex eo confestim ostendit plura tum publica, tum privata bona exoriri, & singulariter civitatum, atque oppidorum incrementum: quod veluti fulgentissimum gloriæ lumen in urbe Neapolitana admiratus est Herembertus iis verbis; *Quoniam civitas hæc civitas misericordiæ est & pietatis, hinc inde vallata omni bonitate*, quæ refert *Card. Baron. ad annum Christi* 872. *n.* 14.

Propterea flagrantibus olim charitate pectoribus, Nobilium cura erga viduas, pupillos, ac pauperes exteros ad laudabilem paulatim Regum ambitionem ascendit, quam ideo suis Comitibus per provincias, & pagos delegabant, ut apud *Marculf. lib. 1. formul. cap. 8.* in charta, qua Rex Ducatum, Patriciatum vel Comitatum concedit, viduis, & pupillis maximus defensor apparens. Et Ludovicus Imperator *in admonit. ad Comites Capitul. lib. 2. cap. 6. Pupillorum verò* inquit, *& viduarum, & cæterorum pauperum adjutores & defensores --- juxta vestram possibilitatem sitis.* Et S. Ludovicus Galliarum Rex centum & viginti pauperes, qui eum consequebantur, humanissimè, & eodem victu quo se ipsum quotidie sustentabat; Nec mirum, si annos 44. sum...mcum sui nominis gloria imperaverit, ut *Solorz.* scribit *emblem.* 73. *n.* 17. filiumque Regni successorem hâc adhortatus fuerit forma: Fili mi, ante omnia in eam curam incumbe, ut Deum & cultu, & amore prosequaris: animo sis pio, & humano erga mendicos, peregrinos, & ærumnosos, illisque pro viribus opem feras.

Ut verò individualiter, juxta præmissum titu-

lum procedamus, antiquissimam observo *Xenonis*, sive *Xenodochij*, quod idem sonat, institutionem. De illo mentio est apud *Vitruvium* 6. 10. jam à nobis priore libro recitata. Suidas vocabulum explicat dum *Xenodochium* inquit *est publicus locus hospitibus recipiendis destinatus*: sive ut ex nostris *Petr. Greg. syntagm. lib* 5. *cap*. 28. *n*. 33. est locus publicè fundatus, reditibus in peregrinos, & in iter agentes pauperes distribuendis. Vel ut *Fagnan*. ex recentioribus J. Consultis, propriè locus est, in quo peregrini tantùm suscipiuntur, licèt alii dicant locum esse debilium, & senum arg. *cap. oratorium* 42. *dis. instit. de donat*. §. *est & aliud & cap. cleros* 21. *dis*. Sic ille *in cap. de Xenodochiis n*. 6. & Fritsc. *cap*. 1. *n*. 14. vulgariter *Hospitalia* appellari affirmat pro advenis, tum ægrotis, tum de alimentis sibi ipsis prospicere non valentibus ad *tex. in l*. 21. *C. de sacros. Eccles*. & tradita à *Reinh. Konig. in theatro Polit. p*. 2. *cap*. 10. *n*. 23. Quæ voce haudquaquam latina vocantur etiam *Eleemosynaria* comprehendentia tamen cuncta loca, in quibus variis formis hospitalis charitas publicè exhibetur.

Verùm ad illud inopes exteros publica misericordia & eleemosynis juvandos, præcipuit mittendos *Iustinian. in l. unic*. §. *sed scimus C. de lati. libert. toll*. quod, ut æquiùs executioni demandari posset, *Xenodochum* ibi constitutum *rubr*. docet *C. de Episc. & cler*. virum scilicet qui advenas, ægrotos, inopes ac invalidos necessarium sibi victum parare nequeuntes hospitio excipit, ut *Gothofred*. exponit *l. Si quis ad declinandam* 49. §. 3. *C. de Episc. & Cler*. quem nos hodie *Hospitalarium* nuncupamus. Et pro hospitantibus quocumque loco peregrinis *constitutio Friderici Impera-*

ratoris II. emanavit, quam nos videndam consulimus.

Imò non longè, post Ecclesiæ virentis incunabula prudenter sancitum fuit, ut pro peregrinis Xenodochia statuere debeant Episcopi; & si reditus Ecclesiæ non sufficiant, ab aliis Christianis exigant. Ita *Concilium Nicæn.* 1. *ex Arabico cap* 70. Et D. Chrysostomus *in Matth.* scribit longè satiùs esse Xenodochiis ac mendicis, quàm Ecclesiæ donare: *quoniam*, inquit, *quæ sunt Ecclesiarum, & tempus corrumpit, & tyranni auferunt: quæ autem data sunt pauperibus, ne diabolus quidem auferre potest*, quem sensum verè aureum *Th. Balsamo ad Synod. Constantinop. can.* 7. apprimè commendat, sed in materiam objurgandi Ludovici XI. pietatem, quia fortasse nimiùm frequenter pauperes expoliarit, ut Ecclesiæ patrimonium tantò magis augeret, vertit *Anton. Mornac. observ. in l.* 1. *Cod. tit.* 3. *leg.* 33. Gazophylacium quoque quo ii facilè juvari poterunt in Ecclesiis publicè instituendum volunt *Chrysost. homil.* 16. *& hom.* 37. *ad pop. Antioch. Orig. in Matthæum*, & deinde *P. Martyr in comm.* 1. *Corinth.* 16. *pag.* 236. Plura vide *in Nazianz. orat. de pauperib. amand.*

Pontifices ac Principes planè cuncti munificentiam hoc in opere contestati sunt, ut libentiùs sacras inirent inopes viri peregrinationes, dum ipsis necessaria in publicis Xenodochiis suppeditari voluerunt. Legimus enim de Leone III. quòd ad pietatem excolendam in sanctæ Dei Genitricis oratorio sito in Xenodochio Firmis vestem de Stauraci pulcherrimam fieri mandavit. Sic *Anastas. Biblioth. anno* 795. *juxta edit. Fabroti.* Simili modo Amedeus III. Sabaudus, vir pietate insignis apud Villam novam oppidum excipiendis hospitibus qui il-

lâc iter sacræ peregrinationis ergo instituerent, erexit. Quo in Xenodochio idem Elephanticum deprecaturus morbum (in quem propendere videbatur) vitæ reliquum traduxit, decessitque anno 1246. *Lamberto Vanderburchio* teste in *Sabaud. Princip. hist.* In Alvernia plura esse hujusmodi hospitalia in montibus Albraci ac per civitates ibi peculiari peregrinorum usui, ut ad votum proficiscentibus D. Jacobi compostellanum subsidium præstent *Petr. Greg. ubi supra.* Quæ egregia facinora plures præstantissimos asseclas excitarunt, Deoque placere pluries visum fuit, maximè in baculo in terram fixo efflorescente, ut legitur in Actis S. Vedasti apud *Bolland. 6. Febr.*

Hinc evidenter constat nullo unquam loco inter fideles usu receptam Romanorum legem à C. Papio adversus peregrinos latam, ut ii urbe exularent infœlicissime, de quâ *Dio lib. 38. Cic. 3. offic. Sigon. comment. in fast. & triumph. Rom. ubi de Mithridatico Cn. Pompeij bello*, & nos jam superius nonnihil attigimus. Quia nobis pauperes ex Christianæ charitatis objecto, non modo admittendi, sed invitandi sunt. Consule si plura cupis *Dominic. de Soto in deliberat. de causa pauper. cap. 3. & 4. & cap. 35. Vasquez in opusc. de eleemos. cap. 3. dub. 4. ac Ioann. de Medin. etiam de Eleem. cap. 4.* quos sequitur ac illustrat *P. Rainaud. in Ascet. p. 4. tit. de amore nationis & cognat. in servis Dei temperand. cap. 5. in fin.*

Mulieribus tamen admodum coarctata hospitalis indulgentia, quibus peragrari omnino illicitum videtur, maximè absque virorum, si nuptæ fuerint, consortio: debent subditæ viris suis operam domi, seu in pueris instituendis, seu in alio pio ac pauperibus juxta facultates proficuo actu sedulo impen-

dere,

dere, ea præsertim ratione, quod majorum enthymemata, *Mulier peregrina; ergo impudica*, nullam hoc temporis apud nostrates limitationem admittat: Meretrix namque honesto jam pridem nomine *Peregrina* appellabatur, quod scite advertit clariss. Scholiastes *Æl. Donat. in And. & Eun.* Terentii, dum in prima comœdia *act. 1. sc. 1.* ea verba referuntur: *Pamphilum pro uxore habere hanc Peregrinam.* Rursus *act. 3. sc. 1. Adeon' est demens & peregrina?* & *act. 2. sc. 1.* num illi molestæ quidpiam hæ nuptiæ sunt *propter hospita bujusce consuetudinem?* In Eunucho verò *act. 1. sc. 2.* Thais ita loquitur:

Samia mihi mater fuit, ea habitat
Rhodi.

Adstipulatur quoque *Horat. lib. 3. carm. od. 3.* cum vaga mulier patriisq; laribus minimè contenta, alios quærens, vel aliorum liberius circumcursans domos, impudicæ nomen ferret, quod placet *Bisciola in horis subseciv. lib. 8. cap. 5. vol. 1.* Eam verò quæ alienas domos, nunc hanc, nunc illam intrare consuescat, Meretricem præsumi *Angel.* notat *in l. si qua illustris ad S.C. Orphit.*

Quæ vaga vivendi forma vix in viris hodie permittitur, cùm pro cunctorum exemplo, in Urbe ex speciali Eminentissimi D. Cardinal. Vicarii edicto, decretum non multis hinc annis fuerit, quod Eremitæ quiqui sint, qui ibi seu in proximo reperiantur districtu, conferre se ad habitandum in peculiari debeant hospitali pro ipsis apud portam *Angelicam* nuncupatam erecto, ibique ac non alibi die noctuque manere: neque iisdem per Urbem incedere fas est, quam fide habita de mansione in eo hospitali, vel ejusdem Cardinalis sive vicesgerentis assen-

ſu:quemadmodum ſcribit *Ricciull.in lucubrat. Eccleſ. lib. 3. cap. 3. n. 6.* fortè ne nimium audacter falſoque præſumpta vitæ laudabilis licentia huc & illuc aberrent:quod decretum arbitrariis aliis pœnis Clementis IX. ſummi Pontificis juſſu fuit nuper utiliter confirmatum. At ſint hæc obiter dicta.

In Xenodochii cura,tum Adminiſtrator unus vel alter,tum Epiſcopus,prout jam ex legum fonte delibavimus,vigilare continuo,nec levi onere injunctum eſt,abſque ulla præter neceſſaria alimenta retributione temporali; quia nec ipſæ piæ domui peregrinis ab inteſtato morientibus communi jure ſuccedendi ſpes eſt. *Paſchal. de virib. patriæ poteſt. p. 2. cap. 1. n. 71. fol. 235.* Quod ſi peregrinorum adventus aliquo modo ita ut fructus hoſpitalis ſupereſſent, deficeret (& hoc pro cunctis piorum hujuſmodi locorum ſpeciebus eſt obſervandum) ii ab ordinario cum duobus de capitulo; ut Moneta ac Fagnan. docendo tradunt, ille *de commut. ultim. volunt. cap. 3. n. 82.* hic *in cap. nos quidem de teſtam. n. 17.* in uſum inſtitutione proximiorem convertendi forent.

CAPUT II.

Noſocomia ſeu Infirmorum Hoſpitalia quomodo ſtructa & æque moderata. De privatis agitur Infirmariis in cœnobiis & carceribus.

TEmpus inutiliter hic non teram in labore verè improbo de publici Noſocomii ſeu Valetudinarii in urbibus tum neceſſitate, tum utilitate, cùm evidens planè ſit, quod infœliciſſima corruptæ naturæ pœnâ quæ innumera ferè morborum genera in ter-

terris invexit, ad eaque homines cunctos subduxit, plures egenos in plateis jacere, & fato equidem crudeli absque hac ope cedere sæpe cogeret. Qua ratione celeberrimam misericordiæ exercitationem erga infirmos quosque, qui per se Divinæ testimonia providentiæ referentes inutiles penitus Reipublicæ sibique sunt, elogiis extollunt Patres ferè omnes, signanter ex Priscis Chrysostomus frequentissime, ad quem si plura scire lubeat remitto, unumq; præ cunctis perlectum vellem, Thomam scilicet de Kempis, virum undiq; sanctitatis ac mysticæ Theologiæ fama clarissimum (cujus corpus nuper in Transisulania propè Zuollam, ubi olim primum Canonicorum Regulariũ in monte S. Agnetis monasterium, incorruptum, suavissimo odore aliisque miraculis comprobatum initio belli Gallo-Batavici cum maximo piissimi populi gaudio cultuq; inventum est, servaturque in Oratorio privato urbis ejusdem Zuollensis clam ab Acatholicorum perfidia) *in opusc.* inscript. *Hospitale pauperum cap.* 7. ubi fuse *de pia compassione cum infirmis.* Mandat verò *Aurelianense Concil.* v. *cap.* 21. ægrotos, advenas, incolasque in suis per Episcopos indigentiis sublevari, quod admodum necessarium putat.

Est Nosocomium locus, in quo universim ægroti curantur, ut ex *can.* 1. 82 *dist. & can. quomodo dist.* 31. deducitur, quod *Valetudinarium* vocatur à Columella 1. *rei rust.* extruendumque in loco salubri, excelso, non nebuloso, non pruinoso, nec æstuosas cæli regiones respiciente vel frigidas, sed temperatas; non maritimo vel palustri, ut *Hippoc.* monuit *lib.* 1. *de aere & aquis*, & clarius *lib. de nat. human.* idemque de eo sensus *Vitruv.* 4. *cap.* 4. *& Galen. de tuend. valetud.*

& 1.Epidim. Extrui fortasse cæptum post obsoletam illam Vetustissimorum consuetudinem ægros exponendi in Æsculapii templo, tum in Insula Tyberina, tum'alibi, de qua *Sueton. in Claudio cap. 25. & Aristoph. in Pluto*, ut à variis medicæ facultatis professoribus, quorum quisque unius tantùm partis medelæ se applicuerat unde capitales, dentales & similes vocati erant, accuratè curarentur. Cujus loci tot esse possunt, quot morborum genera, si loca secundum morbos distinguere velimus. At communia ut plurimum pro cunctis morbis esse consuescunt, iis exceptis qui contagione inficere alios possunt, vel qui propter multitudinem, peculiarem ac sejunctam exigant curam, ita distinguente *Petr. Greg. Tholos. cit. lib. 15. syntagm. p. 2. cap. 28. n. 16.*

Sive igitur quidam inveniantur ab immedicabili corrupti morbo; quemadmodum in eo loco qui Bizantii ante S. Pantaleonis martyris *Argyrion* appellabatur, ab Justiniano Cæsare, ut *Procop. de ædif. Iusti. lib. 1.* scribit reparato, & nonnullis in Civitatibus, ut Romæ in S. Jacobi Incurabilium, à cæteris sejuncto. Sive plures vulnere oppressi per vim hostilem præcipuè in bello aut casu, quorum hospitale appellaretur *Stratigomion*, ut vult *Besold. tr. de præmiis cap. 3. n. 129.* & *Zuvinger. theatr. vol. 18. fol. 2740.* à Venetis aliisque laudabiliter excitatum, quemadmodum *Fritsc.* testatur *cap. 1. n. 17.* eo fine, ut gratiâ speciali milites in hospitali, die fungatur supremo, ut verbis utar *Nevizan. lib. 2. n. 155. & Gryphiand. Oecon. legal. lib. 1. cap. 25. n. 70.* Sive alii ægrotantes extra observatum contagionis genus alienique periculi, rectè in eodem curari medicamentis poterunt, & dummodo radicalis non obstet institutio.

Sem-

Semper autem per summos viros liberalitas in hoc fulsit. Valeatque pro exemplo Regia Gallorum magnificentia, quæ, ne inopes ægri in Valetudinario tuendæ corporis saluti rebus egerent necessarijs, primævæ olim Xenodochij doti cujusque pluries aulici commeatus annonarij libenter adjecit, quâ propinquiùs illud hospitio transeuntis aulæ sinistrâ valetudinis fortunâ vesceretur frueretur que, ab insigni Parlamentari judicato declaratum anno 1274. quod affert *Renat. Choppin. Monastic. lib. 2. fol. 216.* Et postmodum Amplissima virago Augusta Ludovici XIII. Galliarum ac Navarræ felicissimi Regis mater ad Sequanæ ripas, juxtaque Academicum pratum ædes comparari curavit, ut *Nosocomij Augustæ* titulo Valetudinarium fieret: idque à Margarita quoque Regina emolumentum promeruit, dum obstaculo animadverso ad proferendos sui palatij fines, permutationem cum Religiosis, qui illic ægrotantibus voto emisso adsunt, medentur ac subserviunt, sapientissimè inijt. Ex *Anton. Mornacio observat. in digest. lib. 22. tit. 6. de juris & facti ignor. l. 9. §. penult.*

Præsidet porrò in Nosocomij regimine peculiaris vir, qui *Nosocomos* appellatur, veluti ægrotis curandis ac morbosis præfectus, quem nos Hospitalarium vocamus. Is tenetur potissimùm benè tractare infirmos eâ lege, quam præscripsit vir sanctissimus *Io. Trullus lib. 2. de regul. & monast. vita cap. 6.* Providere de medico animæ prius, quam de corporis medico juxta *Concil. Colon.* sanctionem 2. *p. 11. cap. 2.* & de cunctis personæ, loco ac tempori necessarijs. Quoad numerum ægrotantium sciendum, quod omnes recipere tenetur, qui hospitalis fructi-

bus

bus sustentari queunt ad *tex. in Clem. quia contingit ubi Card. & Ancar.* & notata à *Bald. in l. un. §. Sed scimus. n. 2. C. de lat. lib. toll.* & *Lapo in princ. & n.* 74. quos sequitur novissimè *Hieron. Palma cons. 60. n.* 1. Et senes centenarios, qui numero infirmorum comprehenduntur, ut ad rem sac. Episcoporum Congregatio resolvit in una Montisfeltri 10. Decembris 1602. apud *Nicol. lucubr. civil. lib.* 1. *tit.* 25. *n.* 18. Non tamen circulatores, aleatores, histriones, mendaces, qui morbum simulant, aliosque similes ex *Concil. Mediolan. p.* 2. *tit. de pior. locor. administrat.* Et si morbi, pro quibus hospitale institutum fuit, deficiant, eadem sacra Concil. Congregatio in hæc verba censuit. *In hospitalibus, in quibus non habentur proprio morbo laborantes juxta institutum ejus, licet ordinentur accipiendi proximiori laborantes morbo juxta verba Concilij; Non tamen ejiciendi sunt, si qui pauperes diverso morbo laborantes, aut alij miserabiles recipiantur, cùm verè mens Concilij fuerit providere, ne qui possident hospitalia, omnes fructus in usus suos convertant sub prætextu quòd non inveniantur, secundùm propriam institutionem, infirmi.* Refert *Zypæus respons. de jur. can. tit. de Relig. dom. resp.* 1. *lib.* 3. Quia hospitalium reditus universi in pauperum curam eroganda sunt. Ita *Fagnan. in cap. venerabili n.* 37. 39. & 92. *de censib.* In quo si per Administratores notabilis sit defectus, erit Parochi munus Episcopum admonere, ne ipse quoque puniatur, ex eod. *Concil. Colon.* 2. *p.* 11. *cap.* 2. In quo opere cùm Christianæ humilitatis exercitio laborant egregiè, maximè in urbe, Proceres, qui statutis diebus & frequentissimè Infirmis ministrant, & bellarijs ac similibus edulijs eos enutrire invicem contendunt.

Cu-

Curare potissimùm Superiores debent, ut mares âc fœminæ in Nosocomio distinguantur, casu quo unica tantùm hospitalis domus foret, & non juxta sexum provide, ut in Urbibus præclaris divisa: Quanquam initio masculi mixti forent cum fœminis, quia postea divisi, ut sacra suadet in Ecclesijs psalmodia ex *Frances de Eccles. cathedral. cap.* 27. & quòd fœminæ fœminis, virisque viri cum sedulo charitatis âc vigilantiæ ardore, nocturno quoque tempore & continuo ministerium impendant. Nec possunt infirmi, antequam benè valeant, dimitti ex *Bulla Sanctissimi Pontificis Alexand. VII. omninò videnda*; nisi ad proprias convalescentium hospitales ædes, ut in Urbe sub Sanctissimæ Trinitatis invocatione, transferendi forent.

Publici hæc Nosocomij institutio privatos plures imitatores obtinuit, tum in cœnobijs, tum in carceribus, in quibus Infirmaria laudabiliter excitata conspicimus. De primis plura vetera adsunt testimonia âpud *Spelmann. in suo glossar.* Constitutio scilicet Benedictinorum Greg. Papæ IX. ibi: *In Infirmaria nullus comedat, nisi propter infirmitatem, vel debilitatem illuc fuerit destinatus.* Bened. Papa XII. de Benedictinis *cap. 26. Quoties verò plures simul carnes in infirmitorio comedent, versus & oratio in principio mensæ dicatur, & continuum discumbendo silentium observetur. Ibiq; legatur (sicùt in refectorio) continuè aliquid quod ædificet audientes: nullaq; persona sæcularis ad comedendum inibi invitetur.* Clariùs Ingulphus Saxo ab eod. relatus: *Fecit ipse de eodem meremio plurima pulcherrimaq; ædificia, scilicet infirmitorium monachorum, longitudine, & latitudine decentissimum.* De alteris lex æquissima Romæ, quâ in carceribus,

olim

olim Turris Novæ, hodie *Novis*, hospitale omnibus suis partibus absolutum infirmario, medicis, chirurgo, tonsore atque aromatario pro infirmis, fundatumque Archifraternitatis charitatis expensis, à qua uberrimè exercetur, ut adnotat piæ memoriæ Præsul *Scannarol. in tract. de visitat. carcerat. lib. 1. cap. 2. nu. 12.* & similia deberent ubicumque constitui. Quæ penitus necessaria fuerunt, ut undique Christiana misericordia pro bonæ valetudinis fruge infirmis, ex commendato Hospitalitatis jure, prodesse posset.

CAPUT III.

Leprosaria, seu Leprosorum Hospitalia dilucidantur.

MOrborum species ad alios inimicâ planè contagione inficiendos suapte naturâ constitutæ contundi Hospitalitatis jure in vario ac seposito loco, ut jam diximus, debebant, quod singulis infrà capitibus paulatim explicabimus. Caput hîc erit à Lepra, tanquam à perversa corporum qualitate communiùs cæteris diffusa ac virente. Isagogicorum auctor quisquis sit, in *lib. de diffinit. medic.* eam definit, cutis mutationem in habitum, qui præter naturam fit, cum asperitate & pruritibus doloribusque nonnunquam, & squamis decidentibus, quæ plures corporis partes depascuntur. Cujus, ut scribit *Avicenn. 3. p. 4. tract. 3. cap. 1.* tanta vis est, ut per respirationem & convictum illicò proximi infici queant, docuitque abundè satis experientia.

Occa-

Occasione autem belli sacri adversus Saracænos ac infideles in Palæstina sæpius gesti, postquam Asiatica lues hæc per milites in terras nostras illata est, passim apud Christi fideles Leprosaria extructa vult *Fritsc cap. 2. n. 6.* per singulas ferè urbes & oppida cum suis reditibus, ut Leprosi, qui à communi hominum cœtu arcentur, seorsim ab aliorum consortio habitantes, quo enutriri possint, habeant *arg. tex. in Clem. quia contingit. Petr. Greg. Tholos. syntagm. lib. 15. cap. 28. nu. 16.* Sicuti namque in sacris paginis *paral. 2. cap. 26.* habetur de Ozia à Deo leprâ percusso, quod offerens incensum, officium usurpâsset Sacerdotum, domi secretus ab omnibus se continuit: ita quicunque hoc laborarent morbo, quamvis inopes haud sint, ex eodem Divino jure *Levit. cap. 13.* aperto debent esse capite, oreque veste contecto, ut eo se contaminatos signo prædicent atque ostendant; & ubique saparandos sacri jubent Canones *cap. 2. de Eccles. ædific.* & communis adprobat consuetudo.

Plura quoque Leprosis partim interdicta sunt, partim indulgentiâ Principum concessa. Ab alijs meritò sejungendi, ne noceant ex *Zachar. ep. 12.* & *Concil. Later. 3. cap. 23.* in proprio nativitatis loco alendi, ibique relegandi: ex Parisiensi Senat. decreto *arrest sur le faict des mendians*: & ab eis cavendum exemplo conjurationis unà cum Judæis adversus Christianos tempore Philippi Longi Galliarum Regis in Provincia Narbonensi initæ, ut *Gaguin.* scribit *lib. 7. in Philippo Longo.* Sumere cum alijs Eucharistiam non possunt, sed post eos, qui sani sint. *Greg. II. epist. 14. Zachar. ep. 12.* & *Concil. Vormat. 1. cap. 32.* Neque cum benevalentibus convivia ce-

lebrare queunt ex ijsdem auctoritatibus. Possunt quidem contrahere matrimonium, verùm ad continentiam arctantur, si cohabitare velint *cap.* 1. *de conjug. Leprós. cap. quoniam*, ubi præscribitur quando teneantur sibi solvere debitum *cap.* 2. & 3. *eod.* & *Concil. Later.* 3. *in append. de Lèpros.* Si in ministerio Parochi vel simili constituti sint, dandus est ipsis coadjutor cum congrua portione, *Id. Concil. Later. ibid. cap.* 4. Tamen proprium debent habere presbyterum *cap. cùm dicat, de Eccles. ædif. citat.* & *Concil. Later.* sine Parochialis Ecclesiæ, in cujus territorio sunt, præjudicio, si vitæ particularis formâ degant. Matrimonium non solvunt *d. cap.* 1. *de conjug. Lepros.* In quocunque loco sint, ab Episcopo alendi sunt. *Concil. Lugdun. Provinc.* 2. *cap.* 6. Et decimas, dummodò in communi vivant, solvere non tenentur *d. cap.* 2. *de Eccles. ædif. Concil. Later.* & fuit à Rota Romana resolutum in *Corduben. Decimarum* 22. *Martij* 1617. *coram Manzanedo*, quæ est *decis.* 94. *post Tamburin. de jure Abbat.* Et quanquam jure Saxonico incapaces sint successionis; ut *Coler.* putat *decis. German.* 71. *p.* 1. *n.* 1. secus tamen est de jure civili, cùm non reperiatur cautum eos à successione arcendos.

Hæc etiam Leprosaria pari planè jure, quo Xenodochia metienda, observat post *Tholos. eod. loc. P. Bauny in nova beneficior. praxi disp.* 1. *q.* 15. ut scilicet latifundia & census inter opes Ecclesiasticas censeantur, morticinij jure eorum bona non gaudeant, ope urbis civium, qui illorum Oeconomi Rectoresque existunt, regantur; ijque tamen decreto Curiæ Episcopo quotannis & civitatum Decurionibus rationem reddant: undè in Gallijs Magno eleëmosyna-

synario, aut ejus Vicarijs Leprosorum curatores rationem reddunt. Verùm Oratoria eorum sacrò Missæ sacrificio audiendo extructa, beneficij Ecclesiastici titulo insignita communiter nequaquam sunt. Quæ tamen Leprosariorum privilegia huc usque relata ad cætera hospitalia extendenda non sunt, cùm Leprosi ab alijs separati degant, ut acutè *Rota* decidit *in præd. Corduben.*

Fundaturis nova Leprosaria posset esse exemplo fundatio S. Juliani in Anglia, omninò videndâ in *Auctario Vvastij ad hist. Anglic. Matth. Paris. de annò* 1329. ubi plura quoque ejus ætatis describuntur.

Quòd si per Europam planè universam diffusum Lepræ morbum hoc temporis omninò defecisse comperiatur, sive ex salubri Tabachi usu, sive alijs de causis, quæ nos latent: nec investigare studemus in præsenti, Leprosaria hujusmodi ferè undique extra urbium ambitum excitata; similium pestilentialium, uti dicunt, morborum curæ, ex jactis per nos superiùs principiis, cedere poterunt, seu debebunt.

CAPUT IV.

Tutum Epidimeticorum Valetudinarium quo locò ac tempore sit habendum.

INter contagiosos morbos febres malignæ ac pestilentes enumerantur junctâ Leprâ, de qua jam egimus, si fidem præstamus egregio Medicorum hujus sæculi Antesignano *Danieli Sennerto lib.* 4. *de febrib. cap.* 7. Verùm non hæ sufficientes sunt ad peculiare expetendum Valetudinarium, cùm dolori-

ſica indies cauſâ intemperiei multiplici in malevalentibus corporibus earum ſymptomata renovari experiamur : & tamen in uno ac eodem loco,abſque aliorum prorſus præjudicio,plura poſſunt corpora ſic affecta ad ſanitatem arte comparandam jacere. Contagioſus igitur adeò debet eſſe morbus, ut ejuſdem ſpeciei paroxiſmata in alio corpore facili & quodammodò neceſſario producere valeat, quemadmodum docet idem *Sennert. Inſtit. medic. lib.* 2. *p.* 2. *cap.* 10. *pag. mihi* 273. & ſequitur ex Italis noſtris *Paul. Zacch.quæſt. medico-legal. lib.* 3. *qu.* 5. *n.* 3. Ex quo cùm periculum oriatur, quòd infectio,quæ quandoque (proh dolor !) aërem ipſum corrumpit, in aliud corpus tranſeat : ideò infecti extra communem locum rejiciendi, & in hoſpitale pro ipſis peculiari providentiâ extructum includendi. Scribit id *Speckhan. centur.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 11. Priſcorum quoque acceptum fuit monitum apud *Ovidium* ibi:

Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Eſtque Juris Canonici placitum putridas reſecandas carnes , & ſcabioſam ovem à caulis repellendam,ne tota domus, corpora, pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant, *cap. reſecanda* 24. *qu.* 3. & naturæ ductu planum fit.Cauſas morbi hujus non recitabo ; malo enim tibi indigitare inter Patres *D. Athanaſ. quæſt.. ad Antiochum* 102. *vol. oper.* 2. *fol.* 304. & in modernorum , qui phyſicis clareſcunt,numero *præd.Zacchiam* & *Matth. Naldum*, qui vivente Summo Pontifice Alex. VII. cujus medici munere fruebatur , plura in Urbe graſſante lue ſcripto ſuppeditavit.

Cùm igitur infecti contagii morbo evitandi ſint

ut

ut diximus, hinc fit, quod extra civitatem vel à frequentiori hominum commercio ipsis sint in sejuncto Valetudinario alimenta ac medicinæ subministrandæ, in quo concordant *Guliel. de Cuneo in l. 2. C. de summa Trinit.* per *l. 2. casus C. de testam. Paris. cons. 33. n. 11. Capolla de servit. rust. præd. cap. 9. n. 20. & Ripa in tract. de Peste tit. de remediis ad curand. pestem*, quod diu apud Persas usu receptum *Herodot.* testatur *lib. 1. histor.* Sic Mediolani, cooperante juxta summam suam pietatem ac magnificentiam D. Carolo Borromæo fuit celeberrimum illud hospitale pro infectis veluti artis miraculum extra mœnia in salubri planitie excitatum, quod cunctos qui illuc etiam curiositatis gratia appellunt in admirationem rapit, & plura centena sibi sunt conclavia in formam penè orbicularem disposita, cum ex eorum fenestris veluti ex circulo ad centrum possit ægrotorũ quisque oratorium publicum respicere, & sacro quod ibi celebratur aptissime adstare. In portubus etiam dignioribus ratione suspicionis ac peragrantium periculi ea lege excitatũ videmus hospitale (quod vulgo appellatur *Lazzaretto*) ut alienigenæ vel gratuita vel mercennaria quadraginta dierum statione, juxta locorum consuetudines, firmum de eorum valetudine præbeant testimonium. Nec minus alibi extra oras maritimas Epidimeticorum & pestis adsunt Nosocomia propriis de reditibus sumptus in ejus morbi curationem subministrantia: quo autem loco & quomodo construenda sint magis abundè *Marchin.* demonstrat *in tract. de Peste.*

Necessitas quoque boni communis conservandi in quo privatum includitur, malique evitandi hospitationem alias in Ecclesia ut diximus vetitam,

hoc temporis in ea permittit, maximè si campestris sit. *Ripa de peste* 1. *p.* 2. *part. princip. n.* 126. *fol.* 28. ac *Tondut. Sanleger. quæst. & resol. benefic. lib.* 1. *cap.* 86. *n.* 10. quia, si in aliqua civitatis parte de ejus ædificatione agatur, dicunt Doctores, quod ii qui illam incolunt ne ibi ædificetur æquidem impedire possunt, referente *Franc. Marco decis. Delphin.* 125. *n.* 5. *p* 2. Et quod cum Ecclesia consecrata ac cœmeterio, ad parœcialis etiam Ecclesiæ præjudicium erigi possit. *D. Franc. Marc. to.* 1. *dec. quæst.* 1013. *n.* 5. Cum eo casu cuncta etiam in privati alicujus detrimentum jura sileant, ac triumphos agat fœlicioribus auspiciis Epikeia.

CAPUT V.

Insanis suum quoque est Hospitale.

PLures profectò à Doctoribus considerantur mentis alteratæ species, quarum præcipuæ Stultitia, Fatuitas, Furor, Insania. Est, ut *Lactant. scrib. lib.* 3. *Div. Instit.* Stultitia in factis dictisque per ignorantiam recti ac boni erratio: quæ sic dicitur à stupore, importatque spiritualis hebetudinem sensus, quia stultus non movetur per *Arist.* 2. *Ethic.* & *D. Th.* 2. 2. *q.* 8. *a* 6. qui fatuitatem denotare inquit totalem ejusdem sensus carentiam. Furor vero est mentis alienatio vehemens citra febrim, seu ira accensa, non re sed magis & minus ab ira differens ex *eod. S. D. psal.* 35. *col.* 6. Quomodo hic ab Insania discrepet *M. Tull.* declarat 3. *lib. Tuscul.* ubi: *insaniam*, inquit, *censuerunt esse inconstantiam sanitate vacantem, quæ tamen possit tueri officium, & vitæ communem cultum atque usitatum:*

Furo-

Furorem autem rati sunt mentis ad omnia cœcitatem. Quod quam majus esse videtur quam insania, tamen ejusmodi est ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania; ubi non de habitu, sed de animi facultate rationis compote, vel nulla, vel labefactata Dementes, Amentes ac Furiosos eosdem videtur nominare: stultos quos IC. nostri dementes aut mente captos appellant; Insanos autem tanquam utrorumq; genus constituit, quemadmodum subscribit *Hotomann. de verb. juris.*

Cuncti certè indigent summa misericordiæ ope, quibus ex *Concil. Arausic. 1. cap.* 13. omnia pietatis officia exhibenda; miserabiles enim personæ dicuntur cum adeo gravi infirmitate premantur, suisque haud valeant rebus superesse ut *Velasc.* exclamat *de privil. miserab. person. p. 2. q.* 19. *n.* 2. Ideoque cum loci quoque mutatio in hoc admodum conducat, ut de Alcmæonæ, quem ita restitutum testatur *Pausan. in Arc.* & cura exactissima ac particulari ii sint juvandi, sanissimo prorsus consilio hospitalia extructa ad instar carcerum, in quibus juxta magis intensum vel remissum insaniæ gradum detrudi, & quandoque catena una vel altera infœlicissima hæc Divinæ providentiæ testimonia constringi solent. Idque juris consilio, cum eorum, si à proximis detineri non possint, publica debeat esse custodia, & interdũ carcer. *Tex. in l. congruit & in l. divus ff de offic. Præfect.* P. Sic in Hispania generis hujus hospitalia plura indicat *Petr. Greg. sæpè cit. lib.* 15. *cap.* 28. *n.* 25. & in multis Italiæ partibus laudabiliter cõstructa innotescit.

Quanta verò per attinentes adhibenda sit furiosis ipsis cura, patere ex eo poterit, quia si eam in parentibus filii negligant, successione privantur quan-

quam ſcripti hæredes forent: ipſa tamen hæreditas illi tantum eſſet deferenda, qui furioſum ipſum in domum ſuſcepiſſet, ut habetur in *auth. liberi furioſi C. de Epiſcop. audien.* & deducitur *ex l. de creationibus eod.* dixitque *Anton. Scappi in tract. de jure non ſcripto lib. 6. cap. 13. n. 7. &* 8. excluſo etiam fiſco, ac ſervata forma diſpoſitionis tex. *in § ſi quis de præd. auth. ut cum de appell. cogn.* ut declarat *Borell. in tract. de Regis Cathol. præſtantia cap. 14. nu. 55. & 56.*

Ad hoc hoſpitale dementes carceratos propinquis carentes transmitti notat *Scannarol. de viſit. carcerat. lib. 1. cap. 3. n. 28.* Imo etiam nobiles ex illuſtri familia obſervatum fuit. In quo tamen cavendum, ne nimium gravetur hoſpitale, quia ab his penſio eſt ſolvenda menſtruatim, tam pro alimonia, quàm pro ipſa manſione, ut Romæ fit in loco ad forum Antonianum, cujus protector plurima fruitur juriſdictione *Gregor. XV.* placito *in conſtit. 48. ex injuncto.*

Non autem officit ad probandam dementiam quod quis aliquo tempore fuerit in hoſpitali dementium retentus, ſi de tempore actus geſti fuerit liberatus, arguitur enim vel non perfectam phreneſim illam, vel à morbo curationem ſubſecutam ex *Rota Rom. deciſ.* 772. *coram Merlino prope fin.* Et quandoque ſub inſaniæ ac furoris vocabulo aliqualiter læſa phantaſia, vel memoria paululum infirmata minus propriè comprehenditur, quemadmodum *Paul. Zacch.* explicat *in ſuis quæſt. Medicoleg.* ejuſd. Rotæ Romanæ rationibus fultus; Quod etiam ſufficit, ut infirmo curator deputari valeat, ut nimium in amoribus deperdito fieri quit, ſcilicet amenti, ex vulgatis.

Si monialis, quæ ad perpetuam clausuram obligata foret, desiperet furore notabili, ad parentum domum mitti regulariter non deberet, sed in peculiari quodam monasterii cubiculo claudi, in quo res necessariæ sibi minimè desint, nec ipsa cæteras sorores offendere valeat. Resolvit *Sac. Cong. Regular. in una Parmen.* 25. *Iunii* 1601. *& Cremonen.* 20. *Decembris* 1605. quia non deficiunt in claustris baculi & catenæ. *Ead. Cong. in Amerina* 15. *Novembris* 1588. & satis erit si in proprio cubiculo sibi necessaria medicamina suppeditentur. *Ead. in Mantuana* 16. *Iunii* 1620. Fateor tamen, quod aliquando summum Pontificem facultatem concessisse, ut hujusmodi monialis in parentum domo curari valeret, didici ab *ead. in Zaren.* 1581. 21. *Iunii.* quæ docuit, si nollent id agere consanguinei, posse infirmam ad aliquod insignis civitatis infirmorum stultorum Nosocomium transferri, ubi tamen præsumitur adfuisse vel adesse, ut *in Cremonen.* 1589. 25. *Ianuarii.* & factum fuit Mediolani. *Tortonen.* 19. *Ianuarii* 1629. Semper autem requiritur superiorum indultum, alias si Abbatissa ex se monialem infirmam hoc modo, ad hospitale, vel parentum ædes mitteret, castiganda foret. *Mantuana* 1621. 16. *Novembris.* In puellis tamen quæ probatorium curriculum Religionis vovendæ gratia obeunt, casu (quod absit) insaniæ, propria satis est ad migrandum voluntas. Ita *ead. Cong.* sapientissima semper in suis rescriptis, in *Narnien.* 1607. 7. *Augusti.*

CAPUT VI.

Brepho & Orphanotrophii instructio ac regimen. Expositorum opportuna exagitatur materia.

GEmina hæc materia quam titulo inscripsimus, ob maximum sui consensum hoc eodem uno tractari debebat loco: nec enim in urbibus præcipuis, in quibus hospitalis hujusmodi, Christiano ritu, & benevolentia exercetur, duplicem admisisse domum est pluries observatum: propterea *Brephotrophium* locum in quo pauperes aluntur simpliciter definivit *Fagnan.in cap.de Xenodochiis n. 6.* quod melius tamen cum philologo ac egregio J. C. *Petr. Greg.* locus definiri debuerat in quo Infantes enutriuntur, cum *Brephos* sit *Infans*, minor scilicet septennio ex Eusthatio celeberrimo Homeri scholiaste & *tex.in l.si infanti C.de ju.delib.* ibique parvuli deferuntur inventi, veluti pro derelicto habiti, à matribus sive parentibus expositi nec agniti, forte quia necessaria ipsis deficiant pro suppeditandis alimentis, vel impia ac illegitima conjunctione filios procreatos asserere erubescant *can.fin.87.dis.& & cap. un.de infant.expos.Id Tholos. lib.15.cap.28.n.5.* Et Brephotrophos dicitur is, cui similium cura atque educatio, certis decretis reditibus & pecuniis committitur per *tex.in l. sancimus 18. & l. illud 16. §.hæc illud C.de sacros.Eccles.* ad instar plane tutorum.

Orphanotrophium vero locus est ubi orphani, seu parentibus orbati, quorum ex propriis legibus notio habetur, aluntur: Et *Orphanotrophos* is cui hæc provincia reditibus etiam statutis demandata est *l. Orphanotrophos & l. 30. de Episc. & Cler.d.l.sancimus*

cimus aliisque apud eund. Tholos. n. 3. Hujusmodi Orphanorum nutritoris meminit *Georg. Godin. de offic. Eccles. Constantinop.* Et Orphanotrophei ad S. Pauli ædem locati *Cedren. in Leone Armenio* & de Sergio II. *Anastas. Biblioth. in ejus vita juxta annotata Fabrotti: ipse vero,* inquit, *almificus & Beatiss. Papa scholam Cantorum, quæ quidem Orphanotrophium vocabatur, cum præ nimia vetustate pene in ruinam posita atque confracta videretur, Dei annuente clementia, à fundamentis in meliorem, ut olim fuerat, statum noviter restauravit.* ex quo innotescit vetustum Græcis simile institutum: Orphanis namque à fidelibus undequaque subveniendum Patres docuerunt & *Concil. Mogunt. 1. cap. 6.* sancivit, maxime per Episcopum si opprimantur. *Concil. Regiaticin. cap. 22.* Quorum nomine orbati tantum patre comprehenduntur, etsi matrem habeant, tuetur P. *Diana* post plures, *in Epitome verb. legatum*, ubi ab iis legatum orphanis simpliciter scriptum deberi: promiscuum vero cum pupillis dicit *Velasco de privil. miserab. person.* ubi sunt plura videnda.

Mos autem primævus sane crudelis fuit exponendi & abjiciendi filios extra domum, & ad ostia ut plurimum Ecclesiæ, ut ab onere eos alendi se impunè eximerent. Quare in *Synodo Maticensi cap. 6. apud Burchard.* decretum fuit, ut unusquisque presbyter in sua plebe publice annunciaret, ut si aliqua fœmina clanculo corrupta concepisset ac peperisset, nequaquam diabolo cohortante filium aut filiam suam interficeret, sed quocumque prævaleret ingenio, ante januam Ecclesiæ partum deportari, ibique poni faceret, ut coram Sacerdote in crastinum diem delatus, ab aliquo fideli susciperetur ac

nutri-

nutriretur. De simili consuetudine adest apud Treviros Uvandelberti Diaconi in vita B. Goaris testimonium iis verbis : *Moris tunc Trevirorum erat, ut cum casu qualibet fœmina infantem peperisset, cujus nollet sciri parentem, aut certe quem præ nimia inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum parvulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipsum statuta erat, exponeret, ut in ea cum expositus infans reperiretur, existeret aliquis, qui eum provocatus miseratione, susciperet & enutriret. Si quando igitur id contigisset, custodes vel matricularii Ecclesiæ puerum accipientes, quærebant in populo si quis forte eum suscipere nutriendum, & pro suo deinceps habere vellet. Ubi vero ad eam rem offerret sese aliquis, infans qui esset expositus, Episcopo deferebatur, & ejus privilegio auctoritas nutriendi habendique parvuli ei, qui à matriculariis susceperat, firmabatur.* Quæ verba ex *eruditiss. Capitul. Glossar. Doctiss. Bignon.* refert *in notis ad veteres formul. cap* 11.

Quam vero male sentirent leges de exponente, & bene de recipiente sic expositum constat, quod primi tanquam parricidæ puniendi erant *l. 2. de infant. expos. l. nec filium de patria potest. & l. 1. §. pœna de lib. agnosc.* quæ pœna adversus quasdam eorum matres Constantinopoli fuit executa, ut *ex lib. 2. jur. Orient.* deducitur. Constantinus vero Imperator statuit colligentem projectum de patris vel Domini voluntate, eumque suis alimentis ad robur perducentem, retinere sub eo quo voluerit posse statu, sive ut filium, sive ut servum, nec unquam patrem repetere posse *l. 1. C. Theodos. de expos.* Plura vide *apud Bignon d. cap.* 11. & *Nicol. Heneliuin in otio Vratislaviensi cap.* 30. Verum *Justinian. l.* 11. *C. de Infant. expos.* contra judicavit, expositos etsi nati sint servi, liberos

ros atque ingenuos eſſe, nec vindicari poſſe aut ab eo, qui expoſuit; aut ab illo qui emit vel ſuſtulit, ne ex pietatis officio lucrũ reportent, & potius in venerabilem *Xenonem* (ſic placuit hoſpitale hoc appellare) mittendos ad *l. ult. §. ſed ſcimus C. de latin. libert. tollen.* Et de ægris mancipiis medendi tædio in Æſculapii inſula expoſitis Claudius Cæſar libera eſſe, nec in Domini ditionem, etiamſi convaluiſſent, redire, antea ſanciverat ex teſtimonio *Suetonii cap. 25.*

Hodie res meliùs ſe habent, quia ex pietate Catholica plura paſſim videmus excitata hoſpitalia: &, ut verba mutuem *Thom. Bozii de ſignis Eccleſ. Dei tom. 1. lib. 10. ſig. 58. Catholici, ne ſi quis exponeretur, periret, aut malè haberetur, induerunt ea pietatis paternæ viſcera, quibus interdùm ſe genitores exuunt, hoſpitalesq; ædes in cunctis paulò celebrioribus oppidis ad expoſitos educandos conſtruxerunt, ne paterna pietas omnino periret: & ſi qua ex parte inter noſtros langueret, ex alia magis proveheretur, atque extolleretur.* Sic hodie in urbe hoſpitale pro pauperibus orphanis viſitur cum archiconfraternitate B. Mariæ Viſitationis, cuius inſtitutum eſt pauperes orphanos, & orphanas educare, privilegiis quamplurimis fulcitum, protectore, Miniſtris ac Rectoribus deputatis, videre eſt in *conſtit. 26. Pauli* III, *incip. Altitudo.* Item pro expoſitis illud S. Spiritus orbe toto vulgatiſſimum. Et Neapoli celeberrimum ſanctiſſimæ Annunciationis hoſpitale pro variis inſignibus miſericordiæ operibus, ſolùm pro nutricium mercede, ac puerorum expoſitorum nutritione ſingulis annis impendere ſolet ducatos ſexdecim mille & ultrà, *ut Moiſeſ.* tradit *ad conſuet. Neap. p. 5. q. 3. n. 25.*

Non tamen obligationi alimentorum ex jure natu-

naturæ pater nobilis satisfacit filium, etiam spurium, publico tradens hospitali, cùm is alimenta cum dedecore accipere non queat, uti docent *Bald. in l. 1. §. sed scimus C. de lat. libert. toll.* videndus. *Peregr. de jur. fisci lib. 3. tit. 18. n. 73. Surd. q. 6. n. 15. de alim.* & egregiè inter novissimos *P. Bossius in tract. de aliment. cap. 1. §. 5. n. 34.* qui examinata fusè expositorum materia, expensas dicit restituendas, si exponens dives fuerit: repetitque nonnulla *cap. 9. §. 2. n. 606.* Limita hoc in casu paupertatis, ut dicebamus; & rei occultæ, quo abest infamia, & hujus dedecoris vitandi causa expositio permissa est: quanquam tunc parens hospitali ejusmodi sumptus compensare teneretur, & si non ex justitiæ rigore, ex decentia quadam tamen & gratitudine, dummodò pro pauperibus tantùm institutum non foret, ut scitè distinguit explicatque *P. Less. in tract. de justit. & jure lib. 2. cap. 19. dubit. 6. n. 69.*

Nec repetit locus hic alimenta expositi pueri, quanquam à Rectore seu Præfecto repetendi protestatio facta foret. Communiter scribentes *in l. alimenta C. de negot. gest.* & Surd. *tit. 6. q. 19. n. 12.* Succedit quidem expositis morientibus excluso fisco per *Auth. omnes peregrini C. commun. de succes.* ex eo quia incommodum tulit alendi, ut relatis contrariis concluduut *Bald. in l. Si qua illustris n. 6. C. ad l. C. Orphit. Lupus de illegit. comment. 1. in præfat. n. 25. Capriol. de success. ab intest. lib. 5. cap. 6. n. 17. Carol. Franc. de Luca observ. ad de Franch. dec. 198. tom. 1. n. 2. Ganaverr. decis. Neapol. 36. n. 9. Thesaur. dec. 118. n. 5. & latissimè P. Boss. d. tract. de alim. cap. 10. §. 12. n. 641. & 642.* & in terminis Perusini statuti *Gilian. in eius adnot. tit. hospitale n. 5. fol. 159.* universalius autem

Mastrill.

Mastrill. de Magistrat. lib. 3. cap. 10. *num.* 382.

Ut verò à pauperibus hisce in hospitali degentibus quæcumque abradatur ignominiæ macula, quæ ex culpa minimè voluntaria vix irrogari potest, Doctorum plerique defensant eos pro legitimis habendos apud *P. Diana tract.* 15. *resol.* 22. ubi affirmat ita per Summum Pontificem Gregor. XIV. declaratum fuisse, & pluries id. suo calculo evulgavit *Sac. Congreg.* relat. *à Nicol. in lucubr. can. lib.* 1. *tit.* 17. *n.* 10. ex eo, quia expositio non facit quòd constet de illegitimitate: ideoque irregulares ex hoc tantùm non fieri *id. Diana* autumat. Quæ tamen iis ex privilegio indulgere arbitror, quæ præcisè nominantur hoc titulo, ut notum est de præfato S. Spiritûs in Saxia hospitali, & similibus confraternitatibus, intra limites Pontificiæ beneficentiæ, cùm in cæteris nonnulla subsit difficultas ex communiter accidentibus, quibus illegitimi ut plurimùm demonstrantur expositi, & præsumptio hujusmodi roboratur. Ita discurrit *Covarruv. in Clem. si furiosus p.* 1. *n.* 9. Universim verò ac indubiè expositos, cives esse ejus loci, in quo enutriti sunt, astruit *Boer. q.* 13. *num.* 41.

CAPUT VII.

Ex pueritiæ instituendæ necessitate Pædagogij, ac Parthenonis Hospitalitas depromitur.

NOn in priori tantùm ætate, nec in Orphanorum causa sistere proficuum Jus Hospitalitatis debebat, cùm summa ejus provisio nec tempori nec loco quidem, ut aliàs diximus, arctetur: ideoque ab infanti-

infantibus gradum ad eos facimus, qui in pueritia adoleverint, sive hi parentibus sint orbati, sive etiam eorum tutelâ fulti. Institutio autem tunc occurrit, ex qua, ut sapientissimus ex modernis quidam dixit, quicquid in humana est boni assuetudine, planè prodit: arduum quod opus, sive ad disciplinam nonnullam, sive ad mores vitæque communis actiones, per eum, cui ex munere vel ex naturæ debito incumbit, est obeundum: quia cùm quisque ex Divino præcepto erga proximum plurimùm teneatur, sapiens debet insipienti pro viribus prodesse.

A teneris quoque virtutis elementa puerorum animis instillanda ratio naturalis demonstrat, cùm mens nondum per pravas assuetudines alterata, ad bonum, quod est magis naturæ consonum, sit proclivior. Hanc eruditionem veteres pollentes, unanimi sensu, ac summo studio in prole instituenda adlaborabant. Indi & Brachmanes, ut scribit *Alex. ab Al. 2. 25.* edito infanti curatorem, & vitæ magistrum custodemque eo fine adhibebant, ut sub legibus & magistratibus, bonis formatos disciplinis, salutaribus exemplis erudiretur. Persas *Fulg.* post *Xenoph. & Plutarch. lib. 2. cap. 1.* tria præcipuè liberos suos docuisse, equitare, jaculari, ac vera dicere: tria quoque vicissim damnasse, mentiri, inter ærarios esse, & in amnem rem immundam edere. Cretenses in educatione liberorum admodum laudabiles, liberæ conditionis pueros cogebant primùm memoriæ leges commendare, non citra melos concinnatos, ut ex musica voluptate afficerentur, illæque sic proclivius ediscerentur. Sic tradit *Cæl. lib. 18. cap. 26.* Romani præ cæteris insignes, ingenia cunctorum

ctorum explorabant, quemadmodum Græci, non modò ut ne quid invitâ facerent dicerentve Minerva, sed ut optimis assuescerent studiis: & exemplo ac sermone valde cauti sese coram iis ostendebant juxta illud *Iuven. Sat. 5.*

Nil dictu sit fœdum, visuque hæc limina tangat
Intra quæ puer est. ——— ———

Et nos, qui quandoque bene esse præceptoribus debemus, cùm esse tantùm parentibus, rectam per vitæ cursum institutionem testabimur; si eam ab iis virtutum fontibus, temperantia scilicet ac fortitudine, quas divinus Plato atque Stagirites extollunt, hausti erimus, unde Christianæ virtutes ferè cunctæ laudabili emanant fœcunditate. Vide 7. & 8. *Politic. & Lorin. in acta Apost. cap. 7. v. 22.*

At Hospitalitas plurimùm rectæ confert institutionis formæ, tum ex unico omnium scopo qui virtus est, tum ex mutua melioris boni æmulatione, quæ communi in eo convictu cujusque animum ad progressum impellit, ut subtiliter probat *Quintilian. in suis institut.*

Hac de causa pædagogia, sive puerorum hospitalia in singulis civitatibus laudabiliter sunt exstructa ex eo præcipuè tempore, quò sacræ Tridentini Concilii sanctiones pluribus in Ecclesiâ malis salubrem equidem medelam attulerunt: quæ loca vulgò *Seminaria* appellantur, ut quemadmodum forsan in terris locus est seminarium subactus, in quo semina aut vitium, aut arborum panguntur, ut cùm ad certam quantitatem excreverint; in vinetum vel arbustum, vel pomarium transferantur, sic docente *Budeo in l. item si fundi §. seminarios de usufr.* Ita in mortalibus solus adsit, quò boni habitus adolescant,

atque in Reipublicæ utilitatem nova promant vegetatione: possent etiam vocari *collegia* cùm plures colligant, in idem munus habitantes, ex *Alciat. de verb. signif.*

Institutum hoc profectò vetus fuisse ex Apostolicis quoque *Act. in 6.* suadetur, ubi Libertinorum, Cirenensium, aliorumque memorantur Synagogæ, quas verisimile est non oratoria tantùm ad precandum, sed cœtus ad studendum, sive collegia ad quæ è variis iis locis missi erant juvenes, in lege ac ritibus Hebræorum erudiendi, & exinde, teste *D. Luca* varii prodibant cum Stephano disputantes: quam sententiam amplectitur *P. Rainaud. in Ascet. tit. de amore nation. &c. sect. 1. cap. 1. fol.* 449. ubi plura constituta hinc refert Romæ certarum nationum collegia, è quibus evocati adolescentes, bonas hauriunt literas, sacramque ac puram fidem cum pietate sugunt, opus admodum laudabile promoventibus Societatis Patribus.

Decrevit verò Tridentinum, ut in singulis cathedralibus puerorum seminarium instituatur, ut adolescentia à teneris ad pietatem ac religionem informetur: ad quod mensa Episcopi, Capituli, aliorumque qui beneficiis in Diœcesi fruuntur, contribuere tenentur, quod constat ex ejus *sess. 23. de reform. cap.* 18. ubi Barbosa disquirit fusè, an beneficia seminario uniri queant, illumque consule. Porrò ad ejus normam plura inde huc & illuc fuerunt excitata pro imbuendis pueris seminaria, maximè à Patribus Congregationis Somaschæ clericis venerab. Hieronymo Juvenali fundatore, Operariis quidem in vinea Domini utillimis.

Eàdem planè formâ puellæ ex jure nostro adjumen-

menta retulerunt & referunt, per antiquissimum Parthenonis usum, Hospitalis nempe domus pro Virginibus instituẽdis: cùm enim imbecillior sexus validiori indigeat tutela, in peculiari hoc loco fœminis ætate maturis tenellæ Virgines imbuendæ bonis moribus traduntur: estque optimus huic operi scopus, exercendi scilicet duplicem misericordiæ actum, spiritualem quidèm fugâ à periculo & lapsu, nec non corporeum, id est hospitalem. De conclavi hoc mentio est in *veter. epigramm.* & apud *Plutarch. in Alex.* nec dissimile fortasse fuit Vestalium illud ac virginum Minervæ. Clariùs verò ad rem exemplo constat Beatæ Virginis, cujus fœlicem in Parthenone præsentationem, testimonio evangelico, & sacrorum Interpretum elogiis celeberrimam, annis vertentibus colimus. Nec ignotum Philologis est hoc nomen, cùm una cum templo fuisse virginum hospitium scribant *Card. Baron. annal. tom. 1. in præfat. fol. 25. & 27. & Canis. de Virgine Maria lib. 1. cap. 12.* ubi advertit Judæos olim virgines & viduas prope templum commorantes habuisse: nonnulla *P. Cancellott. in tract. de Deipara.* Hoc verò studium non fuisse Romæ neglectum, ex multiplici Pathenonum structura constat, in quibus puellæ centenæ, ex periculo quod in publicis prostat vijs ablatæ, commodè ac piè instituuntur, nec non suppeditatâ dotalitiâ largitate, ad statum procedunt. Qua de causa scribere non omitto, quod in Sacra, quam vocant Congregatione Concilij Romæ anno 1673. resolutum fuit, Virgines ibi *S. Mariæ septem dolorum*, constitutiones Augustinianas, Nobilissimâ Ducissâ De Latera fundatrice, amplectentium, propriè Religiosas, seu Moniales non es-

ſe adinſtar earum S. Franciſcæ *Turris*, vulgò, *Speculorum*, quæ ſub D. militant Benedicto; ſed Oblatas tantùm. Quia hujuſmodi vivendi forma non eſt uti Religio ab Apoſtolica Sede approbata. Præterea cùm illæ Superioribus, Prælato ſcilicet ac Prælatæ obedientiam promittant, non verò eam, nec aliud quicquam ſolemniter voveant. *Tex. in cap.* 1. & *cap. quod votum de voto in 6. ibiq́; gloſſ. fin. Cherub. in Summar. Bullar. in conſtit.* 99. *Sixti V. fol.* 140. Ex quibus ſequitur, ut locus, in quo degunt, monaſterium propriè non ſit, ſed Parthenon: Oblatæ autem Virgines validè nubere poſſint quandocunque, ut pluries factum vidimus.

Quæ hoſpitalis manſio, quàm puellis neceſſaria, *D. Ambroſ.* oſtendit *lib. 2. in Luc. cap.* 1. exemplo Virginis ſedulò Eliſabeth viſitantis propoſito, ubi: *Diſcite*, inquit, *Virgines non circumcurſare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones; Maria in domo ſera, feſtina in publico, manſit apud cognatam ſuam tribus menſibus.* Et curam probo viro demandandam, ne ex Parthenonibus lupanaria fiant, docet *Petr. Greg. ſyntag. loc. ſuperius cit. nu.* 8. Quàm verò promovenda Virginum educatio, *Caniſ.* ubi ſuprà *fol.* 99. & *D. Hieron. in regul. Monachar. cap.* 24. *de conſortio marium fugiendo*, quod nullibi melius agi quit, ac in Parthenone.

Id perſpicientes Germaniæ ac Belgij proceres, plura Virginum, quæ vulgò dicuntur *Canoniſſæ*, inſtituerunt collegia. Eæ autem nullo religionis voto adſtrictæ, ſæcularium Canonicorum vitam ſectantur, in commune degunt, clauſuram non ſervant, poſſuntq́ue ad libitum matrimonium contrahere, ac de ſuis bonis diſponere. Non tamen à Concilio

cilio Viennensi probatæ sunt, sed vocantur Beguinæ *Clem. 2. de statu Monachor.* tenenturque regulam monachalem deligere *cap. 1. de relig. domib.* atque Abbatissæ reverentiam debent, quæ juxta præscriptam consuetudinem exercere nonnullam valet erga Clericos jurisdictionem, sed non medijs censuris. *Honor. 3. in cap. dilecta de majorit. & obed. ubi DD.* & signanter *Barbos. Petr. Greg. lib. 15. cap. 13. n. 20.* & *cap 17. n. 9. Azor. instit. moral. p. 1. lib. 13. cap. 9. q. 5. vers. secundum. Id. Barbos de canonic. cap. 1. nu. 51. Roven. Reipubl. Christ. lib. 1. cap. 42.* abundè *Anton. August. in epit. jur. veter. Pontif. tom. 1. lib. 9 tit. 59.* & in puncto jurisdictionis *Zachar. Pasqualig. in observ. ad contro. inter Episc. & Regul. Laureti de Franch. tit. de Abbatiss. quæst 14.* quarum præbendas merè temporales & simoniæ expertes, dixit *Verall. dec. 356. n. 6. p. 2.* At nos peculiarem de ijs Diatriben juris publici facturam meditamur.

CAPUT VIII.

De Hospitalibus Religionis ac Pænitentiæ, seu piæ custodiæ causa, institutis.

REligio quæ primum ad Deum, naturali quoque lumine impellente, nos excitat, nullo modo necessariis charitatis mediis debebat carere, ne pauperes multi, qui vera Christi Servatoris ac Romano-Catholica præcepta amplecti volunt, omni ope destituti, huc illucque oberrare, & quandoque exulare miserrimè cogerentur. Sano inde consilio pro Neophitis hospitalia in urbibus nonnullis præ-

cipuis extructa sunt, in quibus uterque sexus ex teterrima errorum caligine, opportuno præmisso catechesis lumine, ad sanctæ Ecclesiæ cœtum impunè possit convolare. Suasione vero Episcoporum id universim erigendum, non modò pro Judæis, verùm pro Saracenis ac similibus, eorumque descendentibus, ut ibi alantur, ac de aliquo artificio, de quo vivere possint, doceantur, *Concil.* jussit *Sabinense cap.* 22. At in Urbe primùm à Paulo IV. solertissimo Pontifice extructum, cui quidem hospitali (vulgò *Neophitorum*) Judæi Ecclesiasticæ ditionis tenentur in solidum quolibet anno in festo omnium Sanctorum decem ducatos pro qualibet Synagoga solvere, etiam si demolita fuerit: Judexque Ordinarius illius & personarum etiam extra urbem est protector hospitalis. Ita in ejus *constit.* 9. *incip. Dudum*, & deinde Paulus V. *constit.* 37. *illius* gubernij formam præscripsit, exemptionesque concessit. Nec veritate ullatenus nititur quod narrat vulgus de Hebræorum fortunæ bonis omninò apud suos relinquendis, cùm hi per baptismum verò se consecrant Messiæ: ex quo certè quàmplurimi, ut mendicitatis mala vitarent, in suis mallent perseverare fallacijs. Quia id tantum in parva quota pro suorum alimento verificatur, & possunt omni favente jure, suis ubilibet Christianè viventes, facultatibus uti.

Verùm quia nonnulli Religionis hostes eam notam in nos injecerunt (injustè quidem) de personarum acceptione in conspectu Dei admodum detestanda, cùm quandoque plus obsit, quàm prosit rigor. Est etiam animadversum inutilem haud fore Catholicæ Ecclesiæ erga illosmet hospitalem hanc bene-

benevolentiam, si corporeo misericordiæ fructu uberrimè alliciente, spiritualis trahi posset. Hac de causa Romæ in regione minoris ripæ, ubi non multis hinc annis in parvulo oratorio per gentem Marchio-Anconitanam cultus vigebat Ædis Lauretanæ (qui hodie in templo S. Salvatoris in Lauro magnificentiùs exercetur) postmodum ope consiliove Patrum Societatis, ac Romanorum Principum, qui de suis plura suppeditârunt, nec non Clemente X. fœliciter annuente, gratuitum extat hospitium pro Hæreticis quibusque, juxta loci aptitudinem, ex plagâ Septentrionali in urbem deductis, sub invocatione S. Michaëlis Archangeli, quod paulatim supellectili domesticâ, rhedis aliquot, virisque multifarias pollentibus linguas instruitur, ut omni fulti libertate ij possint eò manere, atque ex jucundo pioque Urbis aspectu Romanam (si lubeat) ad melius esse religionem profiteri.

Nec deficit interea religionis consortibus piæ Hospitalitatis adjumentum, quia fœminæ cujusque sortis conditionisve corruptæ, seu quæ minus fœliciter nupserint; vel quæ originem à lapsis mulieribus ducentes, maximum animæ subire possunt periculum, hujusmodi charitatis officijs, vel gratis utplurimùm, vel quandoque receptâ pecuniâ, si nobilitatis radijs coruscent, recipiuntur, aluntur, degunt, & non semel si Virgines sint, de dotalibus bonis providentur. Primæ quidem in hospitali, jam pridem approbante Paulo III. excitato, ac deinde in unum vel alterum cœnobium verso, in quo peculiaris Hospitalitatis forma servatur. Cæteræ in Parthenone, sive in aliquo ejus conclavi, tanquam in magis proprio tutissimoque à falsis mundi illecebris asylo.

CAPUT IX.

Pium Senum Refugium est Gerontocomium.

GRatuita labenti ætati Hospitalis juris subsidia, quia locum etiam proprium in Republica sortiuntur, omitti per nos haudquaquam debebant: eoque planè digniora, quo canescentes inopes fervida humanitate respiciunt. Est senectus occasus vitæ, ut inquit *M. Tull. in Topic.* & ultima ætas juxta *D. Th.* sententiam *in 4. dist. 43. a. 2.* quæ ab anno sexagesimo secundo incipit, comitesque habet incommoda pleraque, dum primigeneus calor vigorque imminuitur, sensus ac temperamentum debiliora fiunt, atq; ad curvitatem decrepitam, quæ teste Davide nonnisi labor ac dolor est, infœliciter tendit. Hinc *Gall. Cornel. in epigramm.*

Hæ sunt primitiæ mortis: his partibus ætas
Defluit, & pigris gressibus ima petit.

& *Auson in eclog.*

Expectata diu, votisque optata malignis
Objicit innumeris corpus miserabile morbis.

Ex Juristis verò nonnulla ejus mala *Archidiac.* notat in *can. tanta 86. dis.* maximè laboribus idoneam ætatem non esse, ideoque sibi inertiam non imputari, nec alia plurima quæ suos auctores excusant *can. magna cap. 7. de voto l. 2. de termino moto l. 2. qui ætate se excus. C. lib. 10. §. si verò aliqui de quæstore in auth. coll. 6.* & aliis apud *Narbon. de ætate human.* Dicitur verò senex quasi *seminex.*

Et quanquam unico respectu videantur senes ex ipsomet vocabulo dignitatem secum ferre, quia seniores populi, penes quos Sacerdotibus & Scribis

sele-

selectis adjunctis erant judicia, hebræi græco vocabulo *Sanhedrin*, id est Senatores appellabant, ex *Deut. 21.2.& Matth.16.23.* unde ob ætatem ipsorum longiorem, excellentiamque prudentiæ ac experientiæ, instinctu quodam naturæ à Romanis atque à cæteris nationibus semper honorati fuerunt: quemadmodum hispanis vox Senior nonnihil detorta in *Sennor* & Italis *Signore* significat Dominum; Et *Aristot. 9. ethic. c. 2.* omni seniori pro ætate honorem reddendum assurgendo ac sessione cedendo scripsit: quod *Cic. 1. offic.* ibi *est adolescentis majores natu vereri* adprobavit, cum repræsentent parentes, de quib. plura *Plato leg. 9.* idemque *Tull. in Catone.*

Alio tamen respectu misericordiæ ope ii sunt quàm maxime digni, cum infirmis & mulieribus æquiparentur, ut fusè *Velasco de privil. miserab. person. p. 2. q. 18.* quia ab *Aeschine in orat. advers. Timarch.* undequaque miserrimi dicuntur. Sic Bion ille sapientissimus nulli exprobrandam docebat senectutem, ad quam cuncti pervenire ambiunt, cum absurdum sit aliis probro dare, quod quis optat sibi contingere ex *Laert. lib. 4. cap. 7.* Democritus senectutem omnimodam esse dicebat imperfectionem, eo quod omnia habeat & omnibus indigeat ex *Stobæo serm. 15.* & Alexis, cuidam videnti ipsum jam senis fessum ægrè lentèque incedere, ac roganti quid ageret? paulatim inquit morior ex *eod. Stobæo* significans non vivere senes, sed lente mori.

Non minus autem Sardoum ac Ceorum inhumanitas imo impietas damnatur, qui senes à filiis fustibus cædendos & occidendos sanxerunt, absurdum arbitrati si delirus senex vitam produceret, Aeliani testimonio *lib. 4. var. hist. cap. 1. & tit. 3, cap. 36.* Quàm

ſummis extollatur laudibus Veterum providentia in extruendis Gerontocomiis, quibus ab humanæ vitæ incommodis iidem ſublevari, atque alimento ac neceſſariis cæteris præſtitis, ad extremam vitæ periodum fœlicius duci queant.

De hoc hoſpitio meminit olim *Vitruvius lib. 2. cap.* 8. dum Creſi domum lateritiam à Sardianis civibus mitius agentibus ad requieſcendum ætatis otio, Seniorum collegio Geruſiam dedicatam ſcripſit. In *conſtitut.* quoque *juris orient. lib.* 1. in ea Nicephori hæc habentur: *quinta calamitas. Quod ab omnibus ſacris ædibus paræciis, orphanotrophiis, Xenonibus, gerocomiis, eccleſiis, monaſteriis regiis fumaria tributa exegit*, quam refert *Eruditiſſ. Tholoſ.* ſæpè cit. *lib.* 15 *cap.* 28. *n.* 30. qui diverſa fuiſſe notat à Lacædemonum Gerocomiis, in quibus ſummo ordine virtutis præmio adlegebantur pro adminiſtranda Republica ſenes probi ac probatiſſimi, prius narrante *M. Tullio etiam in Catone.* Apertius verò Imperator in *l. ſancimus* 2. *& l. illud de ſacroſ. eccleſ.* Et de S. Gregorio II. Pontifice *Anaſtaſ. Biblioth.* ſcribit *in ejus vita juxta annot. Fabroti*, quod Gerontocomium, quod poſt Abſidam juxta S. Dei Genitricis Eccleſiam ad præſepe ſitum erat, monaſterium inſtituit.

Valde celebria opulentaque ſunt hodie in Italia, tum illud in pago S. Mariæ Majoris Capuæ, de quo *P. Vghell. Italia ſacra to. 6. fol.* 446. tum Romanum à ſumma Sixti V. magnificentia extructum, in quo centeni utriusque ſexus aut validi aut imbecilles ſimili veſte cineritia induti, ac iiſdem plane omnigenæ charitatis actibus ſuffulti, ad requiem perpetuam animo ſatis compoſito videntur commeare.

In hoc hoſpitali ſenio atque inopia affectos intro-

troducere summa pietas est, dummodo tamen parentes non sint qui à filiis met ducantur, quia ex alimentorum denegatione, locique hujusmodi permissione iidem tanquam indigni paterno asse privandi penitus forent argum. *tex. in l. necare 4. ff. de liber. agnosc.* & tradit *Scalona* in *tract. de Testam. lib. 5. n. 22.* Quod enim instrumenta misericordiæ in crudelitatis mutentur effectus, nimis profecto iniquũ est.

CAPUT X.

In Ptochotrophio alendi Mendici, sed Invalidi; Valentibus autem qualis sit Iuris nostri provisio.

VArio hominum statui per providum jus Hospitalitatis indultum ita hucusque ostendere conati sumus, ut si Mendicantium materiam sigillatim percurramus, vix quicquam de publico gratuitoque ejus usu investigandum supersit. Est igitur certo certius locum ejusmodi ex laudabili semper Antiquorum consuetudine ac præscripto pluries inter Christianos non modo, sed & barbaros ædificatum fuisse, cui *Ptochotrophion* est nomen, publicum scilicet pro alendis mendicis hospitale, cujus administrator *Ptochotrophos* appellatur ex *tex. in §. hoc illud de aliena. & emphy. l. sancimus & l. illud. C. de sacros. Eccles. nec non Calcedon. Concil. can. 8.* undę Euphemii presbyteri, & Ptochótrophi Neapoleos *Anastas. Bibliothec. in histor.* meminit *anno Incarnat. 472.* Sitque hoc temporis pro exemplo fidelium in urbe pia domus S. Sixti pro senibus refovendis, ut su-

ſuperiori tetigimus capite, & mendicantibus ad neceſſariam inſimul, ex viſceribus Pontificiæ charitatis, opem ádmittendis, reditibus à Sixto V. conſtitutis in eum finem, Judiceque conceſſo ab adminiſtratoribus eligendo qui Doctor ſit & Clericus, omneſque cauſas hoſpitale tangentes contra quaſcumque perſonas judicare valens, ita ut Romæ nullus judex illas ad ſe cauſas trahere poſſit in prima inſtantia, cum in altera ad Protectoris libitum eligi valeat, ut de hoc, de regiminis forma, ac de mendicantium recipiendorum qualitatibus patet ex *conſtit. 57. ejuſd. Sixti incip. quamvis conſtit. 86. poſtulat, & Pauli V. conſtit. 57. alias.* Rurſus nuper Genuenſis Reipublicæ nunquam ſatis commendandæ providentiæ, prope principis ejus urbis mænia extructum magnifica quidem & plane Regia forma viſitur Ptochotrophion, cui vulgo nomen eſt *Carbonara* in quo bismille utriuſque ſexus & ultra Mendicantes ali poterunt, cum nondum ſit penitus abſolutum, quorum cuncti etiam viſu orbati & manci aliquo modo in opificiis præſcriptis operam impendere coguntur, ne omnino inutiles ſint, pluribus Proceribus pium opus promoventibus, quorum ſimulachra ad perennem memoriam in ejus greſſibus ampliſſimis, auliſque excitata ſunt: nec parum inferius laudis argumentum debetur Excellentiſſimo Proregi D. Petro de Aragonia, qui Neapoli ſimilem clauſuram Mendicantium, expurgato Regno paucis hinc annis exſtruxit. Recentiores fortaſſe Gallorum Batavorumque in eo diligentiam ſolertiamque imitati ſunt; Lugduni enim in publico civium hoſpitali aluntur mendicantes peregrini per tres dies tantum, quibus elapſis ſi inveniantur in civitate eleemo-

mo-

mosynam petentes, virgis in certa ibi asservata sede cæduntur. Quo modo civitas vagis illis purgatur mendicis, natorumque ibi civium inopiæ opportunæ succurritur. Amstelodami vero pauperes cives eodem quasi gaudent privilegio, dum inopibus adhuc validis datur ad sustentandam vitam commoda satis pro publico Xenodochio elaborandi occasio, aliique vagabundi stipem ostiatim quærentes, vel vi ad laborandum adiguntur, vel ipsis civitate interdicitur. Inter barbaros autem plurima per Tartaricum Regnum Ptochotrophia, maxime in civitate *Quinsai*, quo debiles mendicantes mittuntur, cum cæteri ad laboren pro viribus compellantur, teste *Marco Polo Itiner. Orient. lib. 2. cap. 68.* Basilienses forma simili, ut fieri debet in hoc prudenter agunt, cum scribat de iis *Vrstitius in sua histor. Basiliens. epitome* Xenodochium habere sæculo superiori à Conrado opulentissimo spectatæ auctoritatis cive pro egenis hospitibus, votivas præsertim peregrinationes facientibus institutum: in quo magistratus hodierni moderatione sexus omnis ætatisque pauperes stipem alioquin in plateis mendicaturi ea lege excipiuntur, ut exceptis Leprosis, quibus tantum per plateas ostiatim mendicare est permissum; cuncti egeni iter facientes ante portas in domunculis ejus rei gratia factis expectare jubeantur, donec sub horam prandii cænæve singulis diebus, nonnulli quibus id commissum est, eos simul in locum ejusmodi deducturi adveniant: quod *Stuch.* alimentarias tum publicas recitans, tum privatas largitiones *lib. 1. antiquit. convival. cap. 35.* fideliter repetit. Fuit enim superioribus sæculis adeo profusa Christianorum erga pauperes liberalitas, qui etiam

etiam validos ad mendicitatem alliciebant, quod occasione obitus consanguineorum narrant *Origen. in Iob lib. 3. Hieron. epist. 26. & Paulin. ep. 31.* ut lex, de qua in *Cod. Theodos. & Iustinian.* ad eorum inertiam compescendam foret promulganda: nec sufficiebat quod extra Ecclesiæ atrium longe melius quam hodie fit, eos stare indulgeretur, ut post *Nazianz. oratio 1. de pauper. amore & Chrysost. homil. 28. ad pop. Antioch.* nec non *homil. 11. ad Thessalon.* ibi: *ideo in Ecclesiis & martyriis ante vestibula sedent pauperes, ut nos ex illorum etiam conspectu, magnam utilitatem capiamus &c.* quod longissime probat, *Card. Baron. ad ann. Christi* 382. & forsan hac de causa *Act.* 3. miraculum habetur SS. Petri & Jo. in persona mendici ad speciosam portam templi patratum. Importunissimi enim sunt stipem corrogando etiam ad sacram mensam irrepentes, ut orationi vacantes, divino se pabulo reficientes, vel peccata deponentes horulam vix habeant liberam. Quapropter B. Pontifex Pius V. *constit.* 5. §. 5. ita edixit: Pauperes mendicantes, seu eleemosynas petentes tempore missarum, prædicationum, aliorumque divinorum officiorum ita non sinant, sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos ejici curaverint, & parochis dimidii aurei: Religiosis autem claustralib. sub virtute S. obedientiæ. Similiter D. Carol. *in 1. Concil. Mediol. p. 2. §. de Ecclesiis & ear. cultu*: Ne mendici, inquit, Eleemosynæ causa in Ecclesia vagentur, sed extra januam consistant, pœnam subjiciens in delinquentes. In Gallia id egregie usitatum observavimus, ubi Ecclesiarum valvæ custodes habent, qui baculo mendicantium im-

importunitati, ne se in templum introducant, resistunt. Videbimus itaque non omnes Eleemosynâ atque hospitali dignos beneficentia, sed quos tales facit infirmitas, vel casus quocumque modo præter culpam atque inertiam. Quod ut clarius appareat, plura sunt animadvertenda.

Quid sit Mendicitas *Fritscus*, qui fusè pertractat materiam, tradit in suo *de Mendic. Val. cap. 4. n. 6.* scilicet extrema inopia rerumque omnium penuria, sumitque ex *Philippo Camerar. meditat. histor. centur. 2. cap. 74. in fi.* quæ argumento *d. l. un. de mend. val.* per *S. Th. 2. 2. q. 187. a. 5.* in licitam atque illicitam dividitur; Cùm paupertas modica sit indigentia labore necessaria quæritans, plurimum in sacris paginis commendata, & à Græcis Romanisque suffulta, qui paupertatem, virtutemq; vicissim alere gloriabantur. Hinc mendici vel mendicantes (sic dicti quasi manu dicentes ex *Isid. lib. 10. etym. litt. M.*) appellantur omnes inopes, pauperes & nihil habentes ex *Anton. Perer. in parat. ad d. l. un. C. de mend. n. 1.* quos tamen victitare consuetos arbitrarer. Pluresq; Mendicitatis causas *Philipp. Camer.* refert ubi supra, scilicet propriam vel majorum ignaviam: flagitiosam vitam, cum sua vel ludendo vel potando fuerint consumpta; morborum ac defectuum naturalium impulsus, utpote cœcitas, claudicatio, inutilitas, ulcera: casus tristis, vel privatus, vel communis, ut incendium vel bellica vastatio: & divitum seu potentiorum tyrannis.

Adeo verò probosum est mendicare, ut nobilis propterea nobilitatem perdere, cum si cœperit mẽdicare, possit quoque arare autument nonnulli apud *Surd. de alim. 7. q. 6. n. 114.* qui tamen eleemosynâ

hâ potiſſimum dignus eſt, ſi clam & occultè mendicet ex *Menoch. lib. 2. de arbitr. jud. quaſ* 532. patetque ex verecundia petentis, quæ ingenuos natales prodit. *can. conſiderand.* 17. *diſ* 86. facitque Beliſarii exemplum apud *Procop.* & Lazari in ſacris pag. *Lucæ* 16. *n.* 20. intellexitque apud *eund. Luc. ib. v.* 3. decoctor ille fodere non valens, mendicare erubeſcens: & ad rem *Senec.* 4. *de benefic* 29. *ibi. demus non homini ſed humanitati,* quanquam mirum ſit monachos mendicitate ſuâ cœlum affectare, eoque nomine aliis præferri, ut *Surd.* advertit *de alim. lib.* 1 *q.* 94. *n.* 35. Videmus enim quod clerici de fructibus beneficii depoſiti, ne in opprobrium ſtatus cogantur mendicare, alimenta conſequi debent *cap diaconi* 23. *dis.* 93. & *Gloſſ. in cap ſtudeas diſ.* 50: & ſi conſulto mendicare vellent & ordinem habere, putant aliqui tunc mortaliter eos peccare. Ita *Calderin. inter conſ. can. diverſ. tit. de vita & honeſt. cler. conſ.* 1. *n.* 1: & *per tot.* qui caſum proponit ac reſolvit diſtinguendo: An ſit licitum mendicandi cauſa divitias abjicere; ut ſcilicet ſi illas quis tanquam publica perſona poſſideat, quæ habeat eaque miniſtrare, ut ſunt Prælati, Hoſpitalis Rectores, & Patres familias, nullo modo, nec imprudenter alienando, licere ad *tex.* 12 *q.* 1 *futuram,* & *q.* 2. *non licet de reb. Eccleſ. non alie. nulli* cum ſimilibus. Quocirca nobilium peculiarem curam ex infortunus ne mendicent à magiſtratibus habendam, tam jure Divino, quàm Saxonico vult *Fritſc. cap ſeq. n.* 1 *per Novell.* 80. *cap.* 5. *ibiq; Gothofred.*

At validi mendicantes dicuntur, qui omni corporis infirmitate carentes, otiatim mendicare, & ex alieno vivere, quàm propriis laboribus & induſtriâ ſibi victum quærere malunt. *Menoch. de arbitr.*

lib.

lib.2.centur.6.cas.132.n.6.post Accurs.in d.l.un.ubi Perez n.1.& Peguera quæst.crimin.4.n.6. in qua clarius eos describit esse qui se gerunt quasi non haberent artem cum habeant, qui se fingunt debiles cùm sint fortes, quia nolunt laborare, sed mendicando sine labore vivere: quos *id. Fritsc.* sequitur: & nimium jucundam ac fœlicem eorum vitam exemplo *D. August.* affirmat *Confess.6.6.* Ita profectò ex otiosis derivati cum ex *Theod. Reincking. de R. S. lib. 2. class. 1. c. 7.* otii ac desidiæ comes sit paupertas, cui adfinis mendicitas, summum Reipublicæ malum, quæ & otiosos homines reddit, & scelerum genus omne secum invehit, fovet & alit: quod paucioribus expressit *Iulian I.C. ad Novell.80.n.773. ibi, mendicando homines ad delicta proniores fiunt.* Propterea duplici causa mẽdicitas hæc illicita judicatur ab eod. *Fritsco.* Primo, ne prætextu eleemosynæ otiosorum hominum foveatur inertia. Secundo, ne panis à validis mendicantibus, vere debilibus & infirmis auferatur juxta *Eccl. c.4. can. non omnis 5. q. 5 & l bona fides ff. depositi.*

Hoc in validorum mendicantium numero sunt Cingani seu Zigeni, manipulum scilicet colluviesque otiosorum satis nota, imo & furum è variis nationibus, Mauris, Ægyptiis, Turcis, Dacis aliisque collecta, latrociniis, compilationibus clancularіis, subreptionibus, chiromanticisque artibus se sustentans, ut eos describit *Friedlieb. in medull. Theolog. loco de Magistr. Polit. q. 11. Fritsc.* verò *cap. 12. n. 9. & seqq.* non esse tolerandos ait, variasque in hoc Cæsareas adfert constitutiones. quibus jure accensentur scholares ii, quorum peregrinationis vel minus laudabili prætextu, huc illucque divagari mos est, in tabernis seu popinis, mendaciis ac fraudibus tempus

terentium. Excluduntur tamen exules facti propter religionis veritatem ſtipemque petentes per *eund. Fritſc.cap.9.n.* 4. & Mendicantium ordinum Religioſi, nempe Prædicatorum, S. Franciſci, Eremitarum S. Auguſtini & Carmelitarum, quibus poſtmodum ex Apoſtolicis conſtitutionibus additi ſunt minimi, Servi B. Mariæ, Jeſuati jam ſuppreſſi, & Societatis Jeſu, quanquam omnes religioſi ordines ex eleemoſynis viventes hoc nomen mereantur ex *Beſoldo in theſ.pract.* quorum mendicitatem ſanctam omnino & licitam probat *D.Th.2.2.q.187.a.5.* Rurſus milites veterani qui in bello de patria bene meriti ſunt, & honeſta vel cauſſaria miſſione ſi cœci, claudi, mutilati vel debiles facti ſunt, ad Prochotrophia ſunt mittendi, ſi adſint, alias publicam mendicitatem non video iis interdici poſſe.

Ab artibus generis hujus virorum qui, & ſi bona corporis habitudine præditi, cum alterius damno impingueſcere vellent, admodum cavendum eſt, fraudoloſe namque divagantur teſte Homer. in *Odyſſ.* ibi:

Mendico præſtat populoſa per oppida victum
Mendicare ſuum quam ruri - - - - - - -

Et melius *Gregor. Nyſſen. orat. 2. de pauper. amand.* ubi: *Egeſtas*, ait, *ad parandum victum ingenioſos ac ſolertes facit mendicos. Hic prætendit mutilatas manus, ille tumidum ventrem oſtendit, alius dilaniatam faciem, crus putreſcens alii, quâ denique quiſque ægrotat parte, eam denudat, & ſuam miſeriam oſtendit.* Fiuntque omnibus odioſi juxta vulgatiſſ. adag. *Mendici pera non impletur ara* de quo *Eraſm. centur. 5. chil. 2. prov. 24.* qui *chil. 3. cent. 10 prov 45.* refert mendicum quendam juſſiſſe miniſtro, ut eo ſe duceret ubi maxima eſſet homi-

nunt

sium multitudo, dicendo ibi quæstum esse ubi sit hominum frequentia. Et aliis odiosi fiunt, juxta illud Hesiodi: *Et figulus figulo invidet*, & mendicus mendico: quorum fallacias plures describit *Gaspar Ens in proscen. vitæ huma. fol.* 142. *&* 278.

Non prætendimus hic decernere absolutam eleemosynæ largitionem, quia memores quidem sumus Mosaici dicti *Deut.* 15. ibi: *omnino non erit inter vos indigens & mendicus*, exemplo Lazari apud *Luc. cap.* 16. Nosque non latet *Chrysost.* consilium de mendicis paupertate liberandis *homil.* 14. *ad Roman.* & eleemosynis paganum atque infidelem juvandum si sit mendicus absque ullo; si etiam sit excommunicatus scrupulo per *tex. Galat.* 6. *v.* 10. *cap. quiescamus*, *dist.* 42. *cap. si cupis.* 16. *q.* 1. *cap quoniã* 10; *in fine. & ibi gloss.* 16. *q.* 3. *& Franc. Marc. dec.* 887. *p.* 2. Christianum tamẽ primo loco si facultates non suppetant *cap. non satis* 14. *dist.* 86. *& Galat. ibid.* Unde Jo. à Platea in *rub. d. l. un. de mendi. val.* ait in liberalitate eleemosynæ plura consideranda, scilicet *fidem, causam, locum, tempus, modum, necessitudinem, ætatem, debilitatem, conditionem*, cui & nos subscribimus, addentes absolutè mendicitatem publicam prohiberi non posse, cùm Christus Servator pauperes voluerit semper circa suos esse *Io.* 12. *v.* 8. Sed tantum occasione validitatis; quem casum existimamus observatum in veteris Ecclesiæ prohibitione; de qua *Concil. Turon. can.* 2. & conditionibus, de quibus mox.

Permittitur igitur eleemosynarum collectio, vel istarum loco Hospitalitas in Ptochotrophio si invalidi sint; quod probari potest ex aspectu, permisso ad hunc finem corpore nudo, alias prohibito §. 1. *instit. quib. mod. tu tel. fin. ibique DD. Io. de Platea d. l. un.* § 2. & *Pauls*

& Paul. Zacch. in quæst. medicoleg. Item ex teſtium fide *l. teſtium 3. §. 2. in fin. ff. de teſtib.* maximè vicinorum ex *Carpzov. Iurisprud. conſiſtor. lib. 2. defenſ. 225. n. 9.* quia ipſorum juramentum ex perjurii facilitate vitandum monet *Fritſc. cap. 5. n. 75.* qui *n. 32.* ſcite tria præcedenda advertit antequam publica eleemoſynarum fiat mendicis permiſſio. Inquiſitio ſcilicet in eorum perſonas, an verè debiles, invalidi ac ſtipe digni. Teſtimonii publici de vita, moribus, & miſeria oblatio. Licentiæque ſtipem colligendi à magiſtratu facta impetratio, quam per Eccleſiaſticum fieri univerſim conſuetam, adjuncta in Saxonia Conſiſtorii auctoritate affirmat.

Sin autem valeant, omneſque provincias ac civitates pervagari ſoliti ſint, collectionemque eleemoſynarum aut artem licitam profiteantur; imo potius extorqueant, ut Gallorum plurimi querelis ac luctu, Hiſpani minis, Germani cantionibus, Itali ſudario ad caput advoluto in ſignum infirmitatis, quos ſuſpectiſſimos judicat apud ipſos conſuetus Rector, quem *Patrem Generalem* jucundiſſimè nuncupatum volunt, ab iis ex eorum numero electum. In patriam à magiſtratu videntur remittendi ad *tex. in l. penult. C. de his qui bon. ced.* quem vide; aut ſaltem eorum ocium per operas publicas eſt coercendum *d. l. un.* quæ apud Italos noſtros (exceptis Neapoli ac Genua) non ſunt recepta. *Menoch. de arbitr. lib. 2. centur. 6. caſu 532. n. 9.* nec in Gallia obſervari ait *Guil. Benedict. in cap. Raynucius*; nec in Germania teſte experientia. *Perez* autem ac *Peguera* ubi ſupra dicunt quantocyus à provincia depellendos: at quod ad publicas operas demandandi ſint *Beſold.* autumat *in theſaur. pract.* arg. *ff. & C. tit. de pœnis* & Ju-

ſtiniani placitum *Novell.* 80.*cap.* 5. quemadmodum agere Venetos poſt *Bodin.de Repub. lib.* 2.*cap.*2.idem *Fritſc.cap.*15.*n.*14.qui coercendos etiam vellet per Ergaſteria,commendans Rempublicam Hollandicam, civitateſque Brugenſem Flandriæ, Bremenſem, Hamburgenſem, aliaſque: quod Romæ,ut innuimus fit in Parthenonibus S. Catharinæ Funarium & S.Euphemiæ, in quibus puellæ inſtituuntur atque honeſtis familiis famulaturæ traduntur: pueri verò ex multiplici orphanotrophio ad ſtudia liberaliora promoventur.

Publicam autem morum cenſuram,ut antiquitus factum teſtantur *ſuppoſitius Feneſtella de Magiſtrat.Roſin. antiq. Rom. Bodin. de Republ.tit. de Cenſoribus.* Et *Card.Baron.*plura ſumentes ex *Athenæo lib.*4.*cap.*20. *& lib.*5.*cap.*2.*& lib.*6.*cap.*2.*Ælian.*4.*var.hiſt.* 1. *tex. in l.congruit* 13.*ff.de offic.præſ.ac Novell.*80.*cap.*5. inſtituendam conſulit *Keckerm.in ſyſt.polit.lib.*1.*cap.*18. & in *curſu Philoſ.diſp.*30.*q.* 12. hac ratione,ut magiſtratus conſtituat certum genus miniſtrorum & apparitorum,qui vagabundos illos & ignavos mendicantes aliis ex locis accedentes obſervent, eoſque in civitate ſtipem mendicando petere non ſinant, ſed in Xenodochium (intellige Ptochotrophium) deducant,ibique eos examinent, hoſpitiumque & victum per unam noctem ſuppeditent , matutino verò tempore ſtatim è civitate educant. *Menoch.* tanquam falſarios puniri vult *de arbit.caſ.* 532. ad *cap.cum eo §.qui autem extra de pœn. & l eos* 27.*ff.ad l. Corn. de fals.* Fuſtigationis pœnâ , vel ſuſpenſione quandoque ob ingentem pecuniæ ſummam corroſam *Matth.Coler.p.*1.*dec.*179.*n.* 3. Ad triremes,ut in Cathaloniæ Regno per quinquennium. *Peguera d.*

*q.crim.4.n.*10. Quod crimen extraordinarium esse censuit Fritscus ex *Rittersus.ad Novell.p.12.cap.* 15. *arg.tit.ff.de extraord.crim.*Summarium postulans judicium cum processu inquisitorio,ex quo judex sub certa pœna ex officio teneatur in delinquentes inquirere,ut ajunt *Ioh.Zanger.de except.p.1.cap.1.n.60.* & *Paris de Puteo de Syndicatu in verb. negligentia cap.*1 & 4.*ex d.Novella* 80.& 128.*cap.jubemus.*Item eorum receptatores pœna servi corrupti affici, & extra ordinem puniendos *arg.l.1.ff.de fugit. Ioh. à Platea d. l.un.* tenerique pœna *l. Cornel. de fals.* illum qui diplomata mendicantium false scripsit, vel iis falsa sigilla appendit,quæ sit arbitraria,carceris,relegationis, fustigationis, aut pecuniaria pro qualitate admissi,& damni dati ac subsecuti *arg. l.1.16.23.& 28.ff.ad d.l.Corn.Matth.Vvesembec.in parat.ad lit. A.de fals.n.5.*

Ipsimet Gentiles mendicis validis nihil offerendum sano tradiderunt consilio, ut videre est apud *Platon.8.de Republ.& leg.*11.& 12.Ægrotis etiam in æde Æsculapii assignatam sedem *Sueton. in Claudio, cap.*25.aliique providerunt.Similiter Athenis, qui mutilo erant corpore juvabantur,cum prævia senatus quingentorum approbatione, quotidie singulos,ac etiam juxta alios binos obolos ex ærario acciperent, ut Suidas refert *v.* ἀδύνατοι, addens ex Philocoro datas illis in mensem drachmas novem. Vespasianus (quod pejus) à tributi solutione haud absolvit per *Xiphil.ad lib.*57.*Dion.* Carolus Magnus etiam vetitâ ipsorum discursatione,ut in *annal.Boio. Avenn.lib.*4.& *Beat.Rhenan.lib.2.rer.Germ.* narrant, voluit eos in sua quaque regione sustentari, sanos autem validosque labore victum quærere, cujus

constitutionem refert *Camerar. d. tract. centur. 2. cap. 74.* his verbis: *Mendici per regiones vagari non permittuntor: suos pauperes quaque civitas alito: illis nisi manibus operentor, nullus quicquam dato. Mangones, Vagabundi & Cationes qui imposturis homines ludunt, coercentor. Facinorosus oculum pro prima culpa perdito: culpam iterans naso truncantor: tertio deprehensus capitalem pœnam luito.* Sic hodie apud Turcas Ethnicosque nulli fas esse ostiatim mendicare, sed unamquamque civitatem suos alere pauperes, & verè pauperes; otiosos verò ad laborem cogere ex iis qui illas oras peragrarunt compertum fit: Neque in Politia Indorum Chinensium, seu in viis, seu ad templa ullos ferri mendicos, laborare namque cœci etiam & manci membris coguntur, cùm fit iis alendis quòd victum sibi parare nequeunt, modus certus constitutus, *in descript. Regni China lib. 2. cap. 10. Io. Boter.* ostendit *de statu Princip. lib. 4. tit. de pauperib.* Francofurti suum habere prætorem scribit *Io. Gryphiander Oeconom. legal. lib. 1. cap. 35. n. 102. tom. 1.* quam deliberationem per Burgimagistros atque Scabinos Burgensis civitatis *Laurent. Villavicent.* affert *in Oeconomia sacra fol. 262.* Prudentissimè autem in illos per *leges civiles Regni Suecia* sancitum est *cap. 21. tit. 5. juxta Loccen. edit.* sic: *Omnes viri & fœmina ad serviendum operas suas locabunt, qui minùs tribus marcis mobilium possident. Quicumq; eos domo aut hospitio recipit postquam eis conductionis pecunia oblata est, & illi nolunt eam acceptare, mulctabitur tribus marcis, inter Actorem Regem & civitatem partiendi: & qui nolunt servitium subire, urbe excedent. Si posteà redeant in urbem, nec adhuc servire velint, flagellentur, & discedant ex urbe, & hac pœna in illos iteretur, quoties redeunt*

in urbem, & servire nolunt: nisi illis pecunia crescere possit. Videmus itaque tot exemplis adversus inutilem hanc perniciosorum colluviem coërtionem in præcipuis Regnis ac politiis probari, quæ in sacris quoque paginis nonnihil habent fundamenti, dum Apostolus mendicare non permittit, sed vult egentibus dare, & propterea manibus nostris laborare, quod bonum est *Ephes* 4.28. Hinc egregiè *Gloss. super Matth. justiùs feceris, si injustè petentem correxeris, quàm si ei dederis.* Et *D. Hieron. ad Ezech. cap.* 18. *Super verbo: & vir si fuerit justus col.* 4. *Eleemosyna,* inquit, *non saturis facienda, sed esurientibus: nec panis dandus his, qui ructant plenitudine, sed qui inanitate cruciantur:* & *Basil. in Ps.* 14. mendicorum delectum haberi vult: propterea non probo consilium *Fritsci* aliàs prudentis viri ac peritissimi *cap.* 7. *num.* 19. ubi mendicis validis pro obsonio pugnum deberi arbitratur; nimiùm hoc repugnat Christianæ pietati: & *P. Rainaud.* ad rem disquirit, utrùm externi pauperes urbibus citra immisericordiam excludi possint, & indigenæ an mendicare prohiberi *oper. tom.* 4. *de virtutib. lib.* 4. *sect.* 2. *cap.* 5. *n.* 118. & 119. quem videre potes.

Verùm in Ptochotropio de quo agimus, dignos tantùm recipiendos vult *Iustinian. in auth. de quæst. coll* 6. iis verbis: *Lasos autem aut læsas corpore, aut canicie graves, hos sine molestia esse jubemus in hac nostra civitate, aut piè agere volentibus adscribendos*, præbuerat enim Cæsar antè, rationem cum dedecore expellendi illos qui operibus, quibus traditi sunt, inservire noluerint, ut innuimus, & adprobat *Tholos. syntag. p.* 2. *lib.* 15. *cap.* 28. *n.* 13. *Concil.* verò *Colon.* 2. *p.* 11. decrevit ad eam planè formam in hoc hospitali re-

recipiendos tantùm miserabiles, qui laborare non possunt, priùs indigenas, deinde exteros, cùm secùs agentes pauperum deprædatores reputentur *cap. 5. & 6.* His profectò in praxi perpensis, absque inertibus ac ociosis in universa politia, plurimùm semper jus nostrum afferet utilitatis.

CAPUT XI.

Nationum quarundam in nonnullis extant urbibus ædes hospitales, quod Romanis exemplis ostenditur.

NE per orbem universum inutili prorsus peregrinatione divagemur, quod est contra nostrum præsens institutum, qui Hospitalitatis materiam illustrare, non autem itineraria conficere proposuimus, hospitales in Urbe nationis affectus, veluti ex plagis ferè cunctis derivatos, sat erit nobis delibare.

Hæc summatim recitat *P. Theophil. Rainaud. in Ascetic. oper. cui titulus: Amor nationis & cognationis in servis Dei temperandus sect. 1. cap. 1. fol. 448.* ubi à plurimis fundata magnis impensis pro Natione Xenodochia demonstrat hisce ferè verbis, quæ vix paululùm immutata hîc transcribere pro debita viro summo reverentia non erubescimus.

Peregrinorum suæ nationis hospitalem domum habent Romæ Teutonici anno 1350. occasione Jubilæi à Clem. VI. indicti erectam, cui domui, quod primi fundatores Theutonici ab hospitibus preces pro anima sua poposcissent, inditum est nomen ab *Anima*. Gallis quoque est sua domus hospitalis ad

S. Ludovici ædem sacram gentis illius hominum pia liberalitate fundata & aucta in Thermis Alexandrinis. Hispanis hospitalem domum ad circum Agonis erexit Alphonsus de Paradinas Episcopus Civitatensis anno 1450. dicavitque S. Jacobo Hispaniarum patrono, & S. Ildephonso Toletano: Aragonii tamen & cum eis nexi Baleares & Cassetani seorsim suis ab anno 1495. hospitium S. Mariæ Montis Serrati auspiciis construxeruut, & valde auxerunt anno 1570. Lusitanis matrona clarissima Johanna de Ulyssipone anno 1450. occasione Jubilæi Xenodochium occepit, cui postea Antonius, & Georgius, qui Cardinales Portugalenses dicti sunt, incrementum dedêre, patrono accito S. Antonio Ulysiponensi. Angli anno 1398. sedente Bonifacio IX. genti suæ peregrinanti hospitalem domum erexêre, Joanne Skopando opus inchoante, & se ac uxorem in ministerium suæ nationis addicente. Gregor. inde XIII. variis ex Anglia peregrinis ob Catholicam illhic religionem ejuratam Romam adventantibus, silva hospitalitate collegium alumnorum Anglicanæ nationis hospitio adjunxit, nec non hospitalem pro nautis ejusdem gentis domunculam transtyberinam, non procul ab æde D. Chrysogoni. Polonis suis hospitalem domum curavit æternæ memoriæ Antistes Cardin. Hosius anno 1580. sub S. Salvatoris, ac S. Stanislai nuncupatione ad radices Capitolii. Flandri & contermini iisdem populi hospitalem suis peregrinis domum ante annos quingentos à S. Juliano dictam erexêre, quam Robertus Flandriæ Comes anno 1194. Romam pertransiens instauravit, & ampliore censu instruxit. S. Stephanus Rex peregrinatus Hie-

Hieroſolymam, Romam & Conſtantinopolim, ſuæ gentis peregrinis in ſingulis illis civitatibus domum hoſpitalem conſtituit, Romæ ad S. Petrum in Vaticanum anno 1497. à Regis Uladislai procuratore inſtauratam. Hoſpitium peregrinorum Bohemorum in regione pontis Adriani juxta ſacram B. Luciæ ædem conſtruxit Spironeus Rex eorum primùm, cùm Romam anno 931. peregrinatus eſſet: quod anno 1357. Carolus IV. Bohemorum Rex inſtauravit atque locupletavit. Suecis ſuis, Gothis ac Vandalis S. Birgitta anno 1444. hoſpitalem domum ad Floræ campum conſtituit, à Leone X. anno 1530. inſtauratam, opus urgente Olao magno Upſalenſi in Gothia Archiepiſcopo qui aderat. Scotorum hoſpitalis domus in campo martio ſtructa ſub auſpiciis S. Andreæ Regni Scotiæ patroni, deficientibus ob hæreſim hoſpitibus, ſodalitio ceſſit Corporis Chriſti, hoſpitalitate ſalva in Scotos advenas, ſi qui fortè advenirent, Illyricis agente apud Paulum II. & Sixtum IV. Regina Balſinæ ac Serviæ deſpota domus hoſpitalis à tribus gentis illius Epiſcopis tunc Romæ degentibus inchoata, incrementum inſigne accepit: cui Sixtus V. colophonem poſteà appoſuit, quod ædis ſacræ hoſpitali conjunctæ egiſſet aliàs Titularem. Inſubres ſive Longobardi popularibus ſuis hoſpitalem domum titulo S. Ambroſii anno 1471. erexerunt. Genuenſibus nautis Meriadux Cicada fiſci Apoſtolici curator hoſpitalem domum anno 1483. fundarat, quam poſteà Joan. Baptiſta Cicada Genuenſis S.R.E. Cardinalis auctam, ædificiis ac redditibus patere voluit omnibus Liguribus. Britannica natio Armorica Xenodochium ſibi in campo Martio

pridem

pridem erectum, anno 1578. instauravit.

Nuper quoque pro Episcopis pauperibus Reipublicæ Venetæ hospitium est constitutum in ædibus familiæ olim Vidmanæ in Quirinali, quemadmodum cæteris egenis Antistitibus, alijsque veram fidem undequaque promoventibus Urbani VIII. aliorumque Summorum Pontificum indulgentiâ hospitalitas gratuita parata est in collegio, quod vulgò appellatur *de propaganda fide*, in quo plurima pædagogia, non pauci professores Theologi, linguarumque Orientalium, ac typographia, ex qua prodijt sacrorum Bibliorum Arabica versio spacio viginti annorum elaborata, & indies utilissimi codices emergunt :• pluresque viri summi ex eo collegio, cui selectorum S. R. E. Cardinalium præest Congregatio, benè instructi, atque necessarijs auxilijs suffulti religionis augendæ studio in universas mittuntur orbis terrarum partes.

Nosocomia verò certis nationibus addicta magnam partem Romæ quoque cum Xenodochijs conjuncta sunt, ita ut quamvis simul sani ac valentes peregrini illius nationis, seorsim autem ægri excipiantur, eadem tamen utrisque sit domus. Aliquæ tamen nationes peculiaria sibi Nosocomia ægris solis curandis addicta habent, ut Florentini ad Tiberis ripam, non procul à sacra gentis illius æde à D. Joanne nuncupata. Senensibus par cura fuit, structo in via Juliana apud ædem sacram D. Catharinæ Senensis popularibus ægris suis Nosocomio. Bergomates prope Antonini forum ægris gentis suæ excipiendis similem hospitalem domum habent, & exceptos ibi gentiles suos magnâ charitate curant. Plura *Rainaud* quæ à *Theodoro Amydæno, Camileoq́, Fa-*

nuccio

nuccio in de Pietate Romana desumpsisse fatetur ingenuè.

His addo Nosocomium S. Antonij de Vienna in eadem Urbe, quod Gregorij XIII. indulto *constit.* 73. *incip. Romani* eleëmosynas colligere potest ubicunque hospitalitas exercetur, præmissâ tamen Ordinarij licentiâ. Item S. Hieronymi Illyricorum, cujus regimen, qualitasque judicis ac protectoris patebit ex *constit.* 78. *cùm sicut* Pij IV. Et in defectu eorum communia nonnulla pro cujusque opportunitate atque indigentia, quemadmodum illa sunt SS. Trinitatis, S. Spiritûs in Saxia, SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum, S. Mariæ Consolationis, S. Joannis Colabitæ in Insula Tyberina, S. Jacobi Incurabilium, S. Mariæ de Pietate, & S. Lazari.

Inter hæc celeberrimum est S. Spiritûs in Saxia, quod Anglorum olim schola fuit à Rege Offa II. fundata, ut *Matth. Parisiens.* scribit in *vita Abbat. Albanens. fol.* 29. 31. & 36. & deinde ab Innocentio III. æternæ memoriæ Pontifice anno 1204. erectum fuit, ut ex ejus *constit. incip. inter opera* apparet, ubi forma regiminis, ac plurima privilegia *Nicol. IV. constit.* 4. opus hoc dignissimum confirmavit, illudque tam quoad bona, quàm personas sub immediata Pontificis recepit protectione, quatuorque Clèricos professos illius Hospitalarij ordinis ad sacra ministranda elegit. *Sixtus IV.* deinde confirmavit rursus privilegia, ijs additis, ut interdicti tempore si confratres moriantur, in sacris sepeliantur, Indulgentijs fruantur, qui eleëmosynis hospitali domui subveniunt, Notarijque omnes legata hujusmodi confraternitati relicta significare teneantur, junctâ exemptione bonorum ac ministrorum à gabellis,

bellis, alijſque ſolutionibus, atque à juriſdictione ordinariorum, omniumque officialium, & conceſſione privilegiorum Congregationis S. Juſtinæ ſeu Benedictinorum, ut *conſtit.* ejuſdem 14. *illius &* 22. planum faciunt. *Pius IV.* facultatem eleëmoſynas quærendi impertitus fuit, *conſtit.* 28. *cùm ſicut*. Notarios ſeu ejuſdem hoſpitalis cancellarios ad ibi ſcripturas inſtrumentaque relinquenda quum recedunt, adſtrinxit *conſtit.* 84. *Gregr. XIII. conſtit* 44. *ſi inter*, omnia privilegia Concilio Tridentino minime contraria confirmavit. *Clemens VIII. conſtit.* 1 1 7. *cùm ſicut*. ſtatuit ut omnes hujus hoſpitalis cauſæ à Vicario Papæ, qui brachio ſæculari uti poteſt, tam in Curia, quàm extra judicentur: quæ non contemnenda privilegia *Paulus V. conſtit.* 22. *decet*, denuum confirmatione fulcivit.

Sanctiſſimæ Trinitatis Xenodochium pro peregrinis; & Noſocomium pro convaleſcentibus ex alijs Valetudinarijs huc translatis cum confraternitate à Pio IV. *conſtit.* 6. *illius* probatum fuit, privilegijs indulgentijſque munificè impertitis etiam favore eorum, qui operam peregrinis præſtant: cujus Protectoris juriſdictio à Pio V. *conſtit.* 123. *cùm ſicut* ſancita ad omnes hoſpitalis cauſas ſive pro; ſivè contra ita ſe extendit, ut alius nullus judex in eis ſe immiſcere valeat. Summam hujus Xenodochij pietatem undique commendat tridua gratuitaque advenarum ac peregrinorum hoſpitalitas, quæ per annum Jubilæi quandoque unicâ nocte ad quindena millia cujuſvis nationis admiſit; & anno toto ritè ſubducto, hoſpitum quindecies mille. Numerantur in anno 1575 ultra centum millia peregrinorum, & 1600. trecenta millia, ut ſcribunt

Theod.

Theod. Amyd. lib de piet. Rom. p. 1. cap. 1. Camill. Fanucc. ſimili opere lib. 3. & *Raphael Riera in deſcript. iubilæi anni 1575. cap. 6.* quorum poſtremus mirâ narrat de Magnatum, Principum virorum ac matronarum in fovendis peregrinis pietate, quemadmodum & nos teſtes fuimus oculati de Clemente IX. Summo Pontifice in hebdomada majori bis terve ibi operam humiliter præſtante, & de Innocentio X. à viris fide dignis audivimus. Undè in libello vernaculâ linguâ exarato de geſtis ibidem anno 1575. & 1600 plura exempla Hæreticorum ad ea charitatis officia ſtupentium, & ad Catholicam fidem converſorum narrantur.

Incurabilium Noſocomium à Leone X. *conſtit. 15. Salvatoris* inſtitutum fuit. Gaudet porrò privilegijs S. Jacobi in Compoſtella: multis fruuntur privilegijs ejus miniſtri, maximè exemptione atque immunitate, cùm ſubditi ſint Pontificis immediatè, etiam quoad bona: cauſæ eorum de plano expediendæ, de quibus judicat protector: nec deficiunt indulgentiæ favore eorum, qui eleëmoſynas largiuntur. Plura in *conſtit. 2. ad charitatis Pij IV.*

B. Mariæ de Pietate Valetudinarium à Pio IV. erectum, ut in eo curari poſſent pauperes, advenæ atque inſani: privilegia verò ab eo indulta *conſtit. 27. illius.* Greg. XV. *conſtit. 48. ex injuncto*; additâ Protectoris jurisdictione confirmavit. Et pro ægrotum omnium levamine Sodalitium floret Agonizantium, cujus auctores Patres miniſtri Infirmorum, eſtque ijs ſacra ædes, ad quam frequentes confluunt, ut votis precibuſque in extremis laborantibus opem ferant. Non deeſt publica pauperibus aromataria optimè cunctis pharmacorum gemmarumque

rumque ſpeciebus inſtructa ex proventibus Eminentiſſ. D. Card. Barberini ſacri Collegij Decani ad decem millia circiter aureorum in ſingulos annos, ex qua oſtenſo medici mandato, & Parochi paupertatis teſtimonio, infœlices ægri tam intra, quàm extra Urbis limites in vicinis pagis mirum in modum adjuvantur. Et nuper excellentiſſ. D. Jo: Bapt. Princeps Pamfilius rhedam excogitavit, quam *pietatis* appellaremus, mittendam ſuis ſumptibus unà cum precioſis pharmacis æſtivo tempore ad perquirendos quotidie huc illuc in agris infirmos ruſticos, qui omni auxilio artis deſtituti jaceant, deferendos ad urbis Noſocomia.

Pro pluribus autem eorum, formam infirmos recipiendi, nec ante periculum ablatum recidivæ eos dimittendi Alex. VII. *conſtit. in hac alma* datâ die 16. Novembris 1657 præſcripſit, quam refert P. Laurentius Brancatus de Lauræa Modernus Bibliothec. Vaticanæ Cuſtos ex Ordine Minorum Conventualium S. Franciſci *in epitome omnium canon. & Concil. tit. alia de Hoſpitalib. Romæ fol. mihi* 436. & videre potes, cùm inter cætera ſtatuat, quòd

In Hoſpitali S. Spiritûs tot lecti ſint pro nobilibus & ignobilibus, quot illæ capiunt Infirmariæ. In eo recipiendi ſint, qui febri laborant, vel alvi dejectione, & dyſſenteriâ, & vulnerati etiam ſi ſcabioſi ſint, cujuſvis nationis, dummodò proprium eis non ſit hoſpitale, & niſi infirmorum numerus ibi completus ſit.

In S. Salvatoris Hoſpitali 300. lecti pro viris & fœminis ſint, computatis ſervientium lectis, in quibus recipiendi ſunt præfato modo infirmi.

In eo S. Mariæ Conſolationis 80. debent eſ-

se lecti pro viris fœminisque simili modo recipiendis.

In S. Joannis Colabitæ 60. reperiantur lecti: & quia hospitale illud reditus non habet, fratrum illorum charitati numerus recipiendorum relinquitur.

In S. Jacobi Incurabilium 120. sint pro viris ac fœminis lecti, in quibus ulcerati, etiam scabiosi ex quacunque natione sunt recipiendi, ibique apta ægrotis remedia præbenda sunt.

In S. Lazari similiter, cujusvis nationis, Leprosi tantùm.

Peculiaria quoque pro pauperibus artificibus Romæ extructa sunt Hospitalia, quorum institutiones in eadem Alexandrina Bulla egregiè declarantur. Sunt verò Hospitales ædes S. Rocchi pro aurigis eorumque famulis: Vaccarum rubrarum curam habentibus, Sutoribus, Veteramentarijs, Bajulis, Fidicinibus. Sanctæ Mariæ de Horto pro Aviarijs, Molitoribus, Vaccarum albarum præpositis, Navicularijs Regni Neapolis, Olitoribus & famulis, Partiarijs vinearum, Sutoribus, Veteramentarijs, Salsamentarijs, & Vermicellarijs. Et sanctæ Mariæ de Laureto pro pistoribus & eorum famulis, Crustularijs, seu Ciambellarijs, & frumenti mensoribus.

Alia videbis de hoc argumento apud *Panuin.* & & *Pancirol.* Et in præsens amicus humanissimus D. Jo. Antonius Brutius sanctæ Dorotheæ in regione transtyberina pastor lucubratissimum opus prælo parat de Romanorum pietate, in quo non modo ædium hospitalium, sed Ecclesiarum omnium fundationes, privilegia, & quæcumque notatu digna,

accurate per annorum complurium decursum, Eminentissimo Cardin. Barberino opitulante, digessit.

Ex præfatis autem hospitalibus eorumque regimine, quorum privilegiis auctoritas accedit Pontificia, sancto afflante spiritu, normam haud difficulter capere poterunt cætera per universum orbem extructa; & agnoscet lector quam suaviter in re hospitali Deus omnipotens secundis concurrens cum causis agat disponatque.

CAPUT XII.

Regulares Hospites certa sede benigne exipiendi.

COmmoda Regularibus constituenda in urbium centro hospitia, maximè si nimis incommodum eorum sit cœnobium, ut melius valeant ad eum finem religiosis actibus procedere, in quem primum ordines fuerint instituti, juxta sancita *in cap. un. de excess. Prælat. in 6. & Clem. cupientes de pœn. DD.* tradunt relati à *Rota dec. 87. n. 5. p. 4. rec. & dec. 337. p. 10.* quibus adjungo *Bordon. controv. 36. n. 20. Pellizzar. in manual. cap. 7. sect. 2. n. 101. to. 2. & Pignatell. consult. can. 127. n. 32. & 35.* & demonstrat Romana in Gregoriano erecto pro Benedictis juxta *Gregor. XV. constit. 6. Salvatoris*, & communis undique experientia. Debent namque Regulares non minus cum alienigenis hospitales esse, vel eleemosynarum distributione, vel alias prout queunt, quemadmodum *P. Giballin.* scribit *de Regul. clausur. disquis. 1. cap. 2. §. 9. n. 41.* Hospitum cellam olim in externo fuisse monasterii, in qua humaniter hospites erant excepti; quam cum suis ex perfectiori charitatis ac misericordiæ usu. Per-

Permittitur igitur hospitii ejusmodi erectio ubicumque locus aptus ad id inveniri possit, ac nemini præjudicium inde inferri, sive ædificatione sive ampliatione, quo casu non possunt sæculares ad suas domos vendendas ullo modo compelli, ut ex *Tambur. de jure Abb. to. 3. disp. 5. q. 2. n. 5.* observat *D. Didacus Anton. Frances Episcopus Barbastrensis in suo pastorali interno p. 3. voto 7. n. 46. & D. Michael Ant. Frances Archidiac. Cæsaraugust. ejus frater in tract. de Eccles. cathedral. cap. 10. n. 197.*

Verum Monasterii nomine Regularia hæc hospitia minimè comprehendi, cùm absque licentia Episcopi construi valeant post *Cespedes de exempt Regul. q. 6. & Tamburin. ubi mox disp. 3. dub. 10. n. 10.* idem *D. Didac. Ant. Frances ibid.* dixit *p. 2. q. 15. n. 2.* ubi fusè quæstionem exagitavit, & *Bordon. d. controv. 36. n. 19.* Et per consequens, dummodo Episcopi auctoritas in fundatione non accesserit, immunitate non gaudere, latissime adversus P. Dianam probavit id. *Frances in pastorali voto 7. n. 40. & in pastorali regulat. q. 16. n. 16. & 18.* ubi inter locum regularem & locum regularium distinguit hoc modo, ut in primo comprehendantur cellulæ, areæ, horti & quæcumque intra Monasterii ambitum continentur, etiamsi in valde arcta clausura sicut dormitoria & claustra non custodiantur, omniaque hæc *regularia* appellari, atque immunitate ecclesiastica gaudere. At domus rusticæ seu *grangiæ* regularia loca non sunt, (quarum instar se habent hospitia) sed regularium, ideoque in eis haud influunt privilegia monasteriis concessa. quanquam quin hospitia hæc sacra sint loca, ex nomine tantùm non perdant, sic *Maranta p. 2. respons. 28. nu. 17.*

Hic itaque hoſpitalitatem cum ſuis exercent,& quandoque forſan cum aliis, maximè ſi de eo ordine bene meriti fuerint. In quo leges quædam ſervandæ ſunt,ne ex hoſpitalitatis abuſu, tum in cibis nimium exquiſitis, tum in aliis monaſterii nimiis ſumptibus divexentur,ut notat *Io. Trullus lib.* 1.*cap.* 39.*& lib.*2.*cap.* 10.qui videndus eſt.

Hoſpites Religioſi(quod prætermittere nequeo) vagi minime ſunt, ideoque Prælato conventus in quo degunt,ſubduntur,maximè ſi diu ſint ibi commorandi.Ita *P. Paſſerin.in tract.de ſtatib.homin.& offic. to* 1.*q.*186.*a.*8.*à nu.*76.*uſque ad* 78. ubi legum & conſuetudinum particularium an ad obſervationem teneantur, plura ſcribens adverſus P. Lezzanam,qui abſolutè ſubjici firmaverat. Et *ibid.inſpect.* 8.*n.* 185 eoſdem ad effectum licentiæ pro rerum tēporalium uſu duos habere ſuperiores inquit, unum loci à quo receſſerunt, alium hoſpitii,qui facultatē hac limitative uti debet, ne cauſam injuſtitiæ præbeat in conventus præjudicium, ad quem hoſpes pertinet.

Confiteri debet Religioſus hoſpes, vel prælato ipſius monaſterii, vel alteri de ejus licentia, vel conventuali confeſſario,qui eſt quaſi illius loci ordinarius, non tamen aliis religioſis per ea quæ docet *P. Tamburin.de ju. Abb.diſp.*6.*q.*6.*n.*6.*to.*2.qui *diſp.* 13.*q.*10.*n.*4.*&* 5.ſequutus *Peyrin.to.*2.*de Prǣl.cap.*2. *n.*24.advertit hoſpitem ſubdi caſibus reſervatis illius monaſterii in quo hoſpitetur ſi non adſit hoſpitium particulare & ſejunctum: ſi tamen diſcēdat, poſſe à quolibet regulari ſui ordinis abſolvi. Quo loco ſit ſepeliendus reſolvit *P. Diana p.* 9.*to.*7. *reſ.*62.ubi quod abſque licentia parochi, & *in compend.verb.ſepultura in loco ſacro n.*14. Apud

Apud Theatinos verò PP. diversa significatione hospitum nomen usurpatur, ii enim sunt, qui ad hospitium quod probationem præcedit, admittuntur, & hi privilegio fori gaudent, sed non canonis, scribente ex iis *P. Pasqualigo in moral. can. q. 96. centur. 1. & q. 274. centur. 3.*

Si hospitium peculiare non adsit, poterunt in loco ab aliis sejuncto principis monasterii, ut plerumque fit, observatis quæ supra scripsimus, hospites morari.

CAPUT XIII.

Brutorum Hospitalia quam inepte à Gentibus nonnullis extructa.

AD materiæ ornatum potius quam complementum inter ædes hospitales erat aliquid adjungendum de nimio excessivoque hospitalitatis usu erga bruta, quo nonnulli nescio quo rationis ductu vel errore peculiaria, pro eorum cura, valetudinaria excitarunt. Quo in sensu misericordiæ nimium prodigos Turcas & Mogores, qui pro brutis ægrotantibus quibusque Nosocomia providerunt vocat *Serarius in cap. 4. Tobiæ circa 4. precept.* De hoc arguere & nos jure possemus Armurianos, qui pro sacris bubus valetudinaria erexere, ut in vita legitur P. Barzæi *lib. 2. cap. 21.* Persas qui tum parva, tum ingentia pro volatilibus & quadrupedibus hospitalia, ope ad id constituta excitarunt, quâ veluti quodam pietatis specimine, alimentum & medicamina iis præstantur, exornatis præcipuè auro & gemmis vaccarum cornibus, ut *Petrus à Valle* scribit, qui in

Orientalibus Indiis vidisse fatetur hospitalia pro hircis, pecoribus, vaccis, avibus, topis ac similibus *p.1.fol.74.* & *vol.3.fol 50. & 51.* & in civitate Cambaia Indiæ etiam Orientalis Xenodochium volucrum & animalium esse, ubi quæ inventa læsa fuerint, curantur, ibique ad comedendum cibi administrantur, sicut & volucribus quæ ad campanulæ sonitum congregantur, testatur *P.Philipp.à sanctiss. Trinit.in itiner.orient.lib.6.cap.5.* Idemque in universo magni Mogoris regno post *citat.Serar.* disceptando narrat Italus amicus ac insignis Theologus *P. Abbas Tosi* vernacula lingua *nel Gentilesimo confutato.*

Inepta prorsus hæc hospitalis necessitudo, utpote ab insulsa insanaque Pythagoræ sententia derivata, cùm is ab Ægyptiis inter multa bona plurima hausit mala, ut *μετεμψυχώσεως* errorem, qui eam Græcis deinde amandavit, ut ex *Herodoto in Euterpe* deducit *Io.Gerard. Voss.de Philosophor. sectis cap 6.§.3.* & exinde fortasse plures inter Ethnicos orientales pedissequos sibi conciliavit.

Modum tamen finemque hic damnare intendimus, non verò quemcumque erga bruta hospitalitatis usum, qui in viris nonnullis fama sanctitatis excellentibus post eum erga rationis compotes, contemni nec potuit nec debuit. Quod exemplis Camilli Lellii, qui feli unguibus præcisis medicinam adhiberi voluit; Philippi Nerii qui feli assuetæ veteribus relictis à se ædibus cibum continuò submittebat, & Felicis Capuccini, qui aviculis circumludentibus micas rependebat. *P. Io. Rho* confirmat *in histor.virtut.lib.1.cap.8.* Quapropter ita sensit *Plutarch.in vita Censorii Catonis*: *Lege enim & justitia uti erga solos homines valemus, beneficentiam & merita porrigi-*

rigimus nonnunquam ad bruta animantia, quippe emanant, velut ex largo fonte, mansuetudine. Pertinent namque Equorum labore confectorum alimenta & canum, non incunabula modo, sed & senectutis cura ad mitem hominem. Populus Atheniensis, quum ædificaret Hecatompedon, quascumque notavit mulas labore tolerantes, dimisit liberas pascere. Atque unam ferunt liberatarum ultro ad opera descendisse, unaque cum jumentis quæ in arcem trahebant plaustra, cucurrisse & præisse, tanquam adhortantem ea & excitantem: cui publice scivit usque ad mortem alimenta. Cimonis equarum, quibus Olympiis ter palmam tulit extant sepulturæ juxta illius monumenta. Canes domesticos, &c. Possetque id ex charitatis objecto commendari, si pauperum equi vel alia bruta publicâ hospitalitate curarentur, seclusâ omnino Pythagoricâ superstitione. Et Siracides ipse sapientissimus benevolentiæ hujusmodi calculum apponere videtur, cùm ait, virum bonum non multum equum suum verberare.

CAPUT XIV.

Frequens apparet variis populis etiam barbaris hospitalis necessitudo.

GRatuitam, quam meditati sumus, Juris Hospitalitatis partem egregiis nonnullis, tum ex re historica, tum ex itinerariis desumptis exemplis, quibus cuncta superiùs digesta magis magisque illustrabuntur, concludere hoc in capite debemus, ut ad mercennariam deinde facilior sit transitus.

Romanam verò sive Apostolicæ Sedis initium erit scribendi hospitalitatem, de qua si abundè præ-

narrata necdum sufficiant, Pyrrhi cujusdam Episcopi olim urbem invisentis adjungemus testimonium *ex epist. decret. tom. 2.* inter eas *B. Martini* 1. *ep.* 16. ibi: *Vnde autem sumebat ea, quæ ad usum sui corporis erant necessaria: dicet beatus manifestè. De Patriarchio Romano. Ait concertator, qualis panis dabatur ei? respondit honorabilis vir: Vos Domini mei nescitis Ecclesiam Romanam. dico enim vobis, quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad usum præbentur ei, & nullum immunem suis donis. S. Petrus repellet venientium illuc; sed panis mundissimus, & vina diversa, dantur non solùm ei, sed hominibus ei pertinentibus &c.* Indè nil mirum si privatam pii Romani hospitalitatem miraculo compensatam referat *Cantipratanus lib. 2. cap.* 21. *n.* 2. ex Apum hospitalitate commendans humanam: cujusmodi usus per universam Italiam permeavit, apud quos Cæsenæ celeberrima erat ad lites de potiore alicujus civis jure ad excipiendum domi suæ advenam columna, tot annulis instructa, quot apud eos nobiles essent familiæ, ut apud illum advena diverteret, cujus annulo equum alligasset, de quo usu *Fortun. Licetus de annul. cap.* 43.

Multiplices Neapoli extant hodie ædes hospitales, inter quas Orphanotrophium S. Ælígii, ubi ultra 450. hospitantur, quarum viginti singulis annis puellæ ex dote 70. vel centum aureorum nubere queunt, juncto pro mulieribus febri laborantibus amplo valetudinario. Et duo Nosocomia ducentis ultra hinc annis à Regina Joanna exstructa, primum *Incoronatæ*, quorum regimen est apud Monachos Carthusianos S. Martini: alterum *Annunciatæ* suasionibus F. Mathæi locii S. Bernardini Senensis,

quod

quod est verè augustum, ut scribit *Io. Anton. Summonte in histor. Neap. p. 2. lib. 2. lib. 3. & lib. 4.* & *Borell.* fusè *in summa decis. Neap. tom. 3. tit. 18. n. 21.*

Plurium meminit *P. Vghell. in Italia sacra* ut hospitii B. Petri Atinensis *p. 1. fol. 493. in append.* Anselmi Nonantulani *tom. 2. pag. 110.* Xenodochii Matthæi Pii Mutinensis Episcopi varii ac multiplicis *p 2. 156. & 163.* Majoris Mediolanensis à Francisco Sfortia fundati, ædificii magnitudine opulentiaque nobilis *tom. 4. fol. 37.* Plurium Veronensium Xenodochiorum *tom. 5. fol. 537.* aliorumque pro egenis ægris pauperibusque à Marchione Spinetta Malespina *tom. 5. fol. 875.* Vide alia exempla apud *Laurent. à Villavicentio in sua Oeconomia sacra pauperum lib. 2. cap. 7. & 9.*

De Venetis F. Henricus Theologus doctissimus *lib. 4. virtut. Cardin.* hæc habet: *In vestibus splendidi, sed in cibo temperati, ne per ebrietatis mercandi usus impediatur, aut status politiæ turbetur: tabernas non habent; Magni Ecclesiarum sunt cultores, & divini honoris amatores. Pauperibus sunt benefici, multa pauperum hospitalia, & insignia sanctarum monialium monasteria annualibus & quotidianis eleemosynis, tam publicis, quàm privatis nutriuntur.* Quæ *Petr. Iustinian. inserit in histor. Venet. lib. 1.*

Sclavos hospitalissimos prædicat Hembolbus *lib. 1. cap. 82. 47.* his verbis: *In colligendis hospitibus sunt eiusdem omnes sententiæ. Nullus debet rogare hospitium. Quicquid quavis via acquirunt, profundunt in hospites. Quo quis est profusior, eò judicatur fortior, &c.*

In tota Histria desunt cauponæ, cùm insignis ibi vigeat hospitalitas, de qua fusè *Tomasin. in histor. eius provinc.*

De Tripolitarum hoſpitalitate ubi D. Petrus à Q. Marone fuit humaniſſimè receptus, quem Apoſtolus Epiſcopum elegit *Clemens Romanus* meminit *recognit. lib. 6.*

In Creta ubique *Athenæi* ſæculo, ut ex *Deipnoſoph. lib. 4. pag.* 143. conſtat, deſtinata conviviis cœnacula duo: alterum ἀνδρεῖον ſeu virorum indigenarum conclave nuncupabant: alterum in quo dormiebant hoſpites ac peregrini, *cœmeterium* ex ea forſan cauſa illud appellantes. In domûs parte, ubi epulabantur, menſæ duæ ſtatutæ, hoſpitalesque vocatæ, in quibus externi ſedebant, ſi qui fortè adfuerint. Poſt illas aliorum convivarum menſæ.

Arabes in provincia Baſſorenſi ad fluminis ripas hoſpitalitatem erga iter agentes quoscumque magnis benevolentiæ ſignis gratuitò exercere narrat præfat. *P. Philip. in ſuo itiner. Orient. lib. 6. cap. 2.* Similia ſe obſervaſſe in Siria univerſa apud monachos tam Græcos, quàm Maronitas, qui cunctis advenis, absque ulla temporis præſcriptione alimentum, cubile ac tectum præbent, in quo inſignis eſt Patriarcha Maronitarum in urbe ſuæ reſidentiæ principe, *Canubim*, quem cuncti Gubernatores oppidorum, ac provinciarum egregiè imitantur; quòd ſi ægrotaverint, herbis tantùm curant, vitroque iis venam aperiunt, narravit nobis præceptor in urbe linguæ Arabicæ *D. Fauſtus Naironus*, qui tractatum in præſens abſolvit *de Siria notabilibus*.

Neque inferioris voluntatis Turcæ ſunt, qui in hoc barbariem penitùs exuerunt. Sunt autem ijs Xenodochia ex poſtrema Regum diſpoſitione conſtructa, *Imareth* appellata, ubi pauperibus atque peregrinis cibus datur, vel oryzæ cum carnibus, aut

Bogli-

Boglidas ex tritico pro obsonio cum pane satis magno ac aqua pro potu: alibi verò locus est publicus ad cubandum *Charnat sanne* in fœno vel stramine sub tecto per ea quæ scribit *Bartholom. Georgevitius.* *Petrus* verò *Bellon. in observ. lib.* 1, *cap.* 59. de ijsdem hæc habet: *Nulla sunt in Turcico Imperio diversoria, nisi publica ædificia CABACHARA dicta, Satrapæ enim opulenti pium aliquod opus, quod ipsorum conferat saluti, facere volentes, tales structuras pio zelo fieri curant, in quibus omnia ad victum necessaria, exceptâ supellectile, quam secum ferre peregrinantes coguntur, subministrantur omnibus cujuscunque fuerint religionis.* Et in Oriente celeberrimum est Damascenum Xenodochium, in quo ijdem Turcæ Græcos, Hebræos, aliosque cujusvis generis hospitantur. Eorum hospitalitatem ex Juristis *Decian.* commendat. *respons.* 66. *n.* 36. qui de pluribus idem affirmat. Verùm de ijs tantùm *Henric. Porsius lib* 2. *epigr.* quòd

Balnea, templa, vagis ac tecta patentia passim
Hospitibus poni splendidiora solent.

At fulgentissimis religiosæ pietatis radijs micat in Terra Sancta PP. Minoritarum Hospitalitas erga peregrinos atque egenos, quam describit *Io. Gotovicus in Itinerar. Hierosol. & Syriac. lib.* 1. *cap.* 15. ijs verbis: *Quanta enim consolationis sit exteris linguam Turcicam Græcamve ut plurimùm ignorantibus, longaq; jam navigatione defeßis, ac penè viribus exhaustis, in terris Turcarum invenire nostræ religionis homines, qui humaniter hospitio quosque excipiant, liberaliter tractent, recreent afflictorum animos, opem item atque auxilium in neceßitatibus ferant, vix dici potest. Præter tutum namque receptaculum quod peregrinis exhibent, ægrotos curant, ad victum necessaria præbent, negotia peregrinorum expe-*

expediunt, & ad meliorem spem erigunt. Hæc autem hospitalitatis & humanitatis officia nemo gratis à Minoritis præstari existimet: etsi enim pro victu, pro labore, pro omni denique cura & officio nihil exigant petantq́;, officium tamen gratitudinis est benefacta benefactis cumulare, & remetiri unicuique mensurâ eâdem, quâ alteri quis mensus fuerit; eodem enim animo debetur beneficium, quo datur. Solent præterea peregrini omnes, antequam inde discedant, in grati animi signum condignâ largitione beneficium remunerare, & rependere vices. Id verò si quis negligat, ingratitudinis notam se incursurum sciat, quo nihil apud Deum hominesq́; otiosius. Ibique quòd PP. cum Guardiano et hospitibus lavant pedes, ad sacra loca invisenda circumducunt, & ab injuria defendunt. Idemque auctor *lib. 2. cap. 19.* in ipsa civitate Hierosolymit. publicum esse scribit Xenodochium amplissimum juxta Salomonis templi aream, Sultanæ (ut fertur) cujusdam uxoris Soleimani Imperatoris Turcici extructum sumptibus, in varia divisum cubicula, quæ Christianis penetrare nefas est, à Mauris appellatum *Marath*. Cibi tamen in eo coquuntur, nempè hordeum, vel oryza ad cremorem, partim vervecina caro, quæ in frusta secata elixatur, eaque in egenos quotidie distribuuntur.

Persæ, quantum ad mores attinet, affabiles ut in plurimum sunt, amicique extraneorum, quos *Regis hospites* vocant. *P. Philipp. in cit. Itiner. Orient. lib. 6. cap. 3.*

Macedones ab Hospitalitate laudat *Apost. lib. 2. super epist. ad Galat. in præfat.*

In regno Chinarum hospitia per vias disposita, quæ singula exercitum quotidie possunt excipere,

narrat *Marcus Polus lib. 2. cap.* 20. adducitque *Simon Majol. dier. canic. colloq.* 23. Sed eorum providentia melius patet ex descriptione *P. Io. Gonzalez in histor. rer. morumq; Regni Chinens. p. 1. lib. 2. cap.* 10. hoc modo: *In regno Chinæ magnis pœnis ipsis pauperibus Rex, ne stipem publicè colligant, vetuit; majoribus ne permittant aut dent petentibus, sed judici denuntient ipsis civitatibus, oppidis, pagis. Contra hujus legis infractores speciali in singulas civitates judice designato, qui primo quo administrationem capeßit die, publico edicto parentes, quibus aut impotens proles nascitur, aut talis accidente casu redditur, sibi mox infortunium prolis denuntient, jubet, secundùm Regis Conciliiq; voluntatem provisurus: ad aliquod verò opificium judicis sententiâ determinatur infans ex utroque sexu si habilis sit, aliàs parentes aut consanguineos proximos ad eum alendum inducunt, & si ii deficiant, suo illos Rex sumptu in hospitalibus ad id per singulas civitates magnificentißimè extructis sustentat. Idem veteranis militibus locus aßignatur, ubi necessaria illis insigni solicitudine ministrantur. Hospitali adest judex, qui præfectum Xenodochii exactißimè visitat, & ille Regii concilii commissario subest: pauperibus & senibus, qui rarò & absque licentia è septo egredi non possunt, permittitur ad suum oblectamentum & quæstum alere gallinas & porcos.* Cæcos in pauperum alendorum numero non ponunt, qui molere in pistrino, trahere in officina ferraria folles, aliave exercere opera, quæ perfici sine oculorum usu possunt, jubentur. Puella oculis orba corpus in lupanaribus exponit, suntque tales quàmplurimæ, ut *Id.* scribit *p. 1. lib. 3. cap.* 20. iisque vestiendis, poliendis, comendis vetula intendit ad sustinendam virorum libidinem ulterius inepta. Vitam profectò providè sustentant, sed animæ ja-

ctura omninò fugienda: & hoc modo curant Chinenses, ut in toto Regno, maximo alioquin ac populo admodùm fulto, nemo publicè stipem roget, nemo privatim paupertatem sentiat. Quam historicam narrationem Italicè vertit *L' Avanzo*. Pro humanitate verò Hospitali in eodem Regno hæc adjungit *Henning. de Chin. lib. 3. cap. 19. Si hospes comedisse se negat cùm conterraneus occurrat, in proximum introducunt diversorium, & adparari jubent adventitium convivium sanè quàm opiparum; quod quidem facilè potest fieri, cùm oppida, urbes, suburbia, cuncta denique hominum habitationi accommoda loca hujusmodi cauponis sint frequentia, in quibus levi precio delicatè epulari licet ob cibariorum vilitatem. Sin ille aliunde rediens popularis edisse se dicat, in aliam tabernam, in quo hypotrimmata fructusq;, aliaq; hujusmodi penuaria venduntur, adductum eum lauto tragematum apparatu, multisq; editis amoris & benevolentiæ signis amicus exhilarat.*

Gentes plusquam æquo hospitales, hoc est pro hospitiis lenocinia exercentes, idest Tauroscytæ apud *Sabellic. lib. 4.* sic Babylonii cum hospitibus liberos & conjuges stupro coeunt, modò pretium flagitii daretur, non vetuisse refert *Curt. lib. 5. Herodot. lib. 4. & Boemus Auban lib. 2. de Asia pag. 77.* testaturque *Guagnin. in descript. Moscoviæ.*

Polonos & Lituanos in diversoriis nihil præter tectum viatoribus præbere, edulia verò empta hospiti coquenda dari *Azarias Surtzius* refert *in rer. public. præludijs disp. 1. thes. 6. lit. G.* & *disp. de orig. & princip. Reipub. thes. 6. lit. G.* Intelligunt planè quicquid *Io Vulteius Rhemensis lib. 2. Hendecasyll.* ludens hospitibus præscripsit:

Qui fertis dentes nil dantes, ite aliò, ite

Huic hominum generi clausa culina mea est:
Vt vobis mos est nunquam persolvere, nobis
Hospitium gratis sic dare relligio est.

Vel ut clarior Poëta ------- *nam qualis & unde*
Natus es, hospitij quærere jura vetant.

Mosci & Barbari quicumque summâ humanitate hospites tractant, quorum nonnulli, utpote ij ex provincia *Chamul*, ad hospitum concubitum uxores & puellas relinquunt (quod in *Daruiscis* est quoque observatum) & non modò gratiæ atque honori id adscribunt, verùm Dijs gratum faciunt, ut advenæ talibus recreentur, testimonio oculato *Marci Poli cap.* 37. *lib.* 1. Hospites similiter à Scythis nunquam dimitti scripsit *Origenes lib.* 1. *contra Celsum* ibi: *Vbi se ad Scythas contulerit, quibus leges nefariæ sint, neque ab his secedendi sit postea opportunitatem adeptus, & idcirco vivere apud eos cogatur, &c.*

De provincijs Septentrionalibus plerisque priusquam hæresi contaminarentur, insignia produntur exempla humanitatis civium in advenas. *Olaus Magnus lib.* 15. *histor. Septent.* scribit in omnibus regionibus Septentrionalibus eximiam vigere erga hospites humanitatem, ita ut indigenæ omnia in suos effundant, eamque diem nigro calculo notandam putent, quâ nulli peregrino exhibuerint beneficium. De Gotthis *Io. Magnus* scribit *lib.* 4. *cap.* 2. summo dedecori apud eos esse peregrinum tecto arcere. Quin etiam edicto Caroli Regis præscriptum esse incendi domum, cujus Dominus ter peregrinum excipere detrectâsset, cum proprijs ædibus privandus foret, qui earum usum inhumaniter denegâsset. Imó de ijsdem Gotthis est proditum, adeò fervere inter eos studium benefaciendi peregrinis,

ut lis quandoque ea ex causa suboriatur, & qui gratuito hospitio plures advenas susceperit, cæteris fœlicior habeatur. Apud Suecos maximè cultam hospitalitatem & Norvegos *Albert. Kranzius* testatur utrobique *lib.* 1. qui affinia de Vandalis habet *lib.* 4. *Vandal. cap.* 23. Verùm hæc vastatione bellorum aliquantisper refriguerunt, cùm in publicis vijs frequentissima adsint diversoria, & gratuitâ extra illas tantùm in ruribus exerceatur, ne peregrini, itinere decepti, ullo modo pereant: de quò si plura cupis, vide *Ougerium in itinere Suecico, Danico, & Polonico: Le voyage e l' Ambassade de Monsieur de Carlisle, Loccenium in Antiquit. Suecicis*, & *Scheffer. in Vpsalia antiquà.*

In confinio superioris Pannoniæ propè urbem & montem Celto pagum occurrere nomine *Spital*, ubi templarii quondam illi Xenodochium habebant, scribit *Latius Reipub. Rom. lib.* 12. *cap.* 9. qui dè insigni Xenodochiò Augustano à Jacobo & Udalrico Fuggari Augustanibus erecto, & de eo apud Veldkircham cum cœnobio Joannitarum ab Hugone II. comite Montfortio & de Veldkirch sub Friderico II. fundato meminit *in tract. de gentium aliquot migration. tit. de Suevis lib.* 8. *fol.* 436. & 439.

De Thules insulæ, sive Islandia sit, sive alia, incolis *Adamus Bremensis* refert multa insignia in moribus eorum, præcipuè charitatem, ex qua procedit ut omnia inter eos communia sint, tam advenis, quàm indigenis.

In Galloflandriæ urbibus, oppidis, & pagis quibusdam Xenodochia egenis ad dies aliquot recipiendis esse, ut S. Juliani Insulæ Grimareorum: Duaci pro peregrinis ægrotisque idemque Orchiaci,

Armen-

Armenteriæ, Siclinii: Item noſocomia Baſſeæ, Haubourdini, & Uvarinii pro peregrinis inſimul & ægrotis. Rurſus Orphanotrophia & Ptochotrophia intra muros Inſulenſes, & domus D. Chryſtophori, ubi quatuor pueri cum Sacerdote ſedem obtinent eleemoſynis victitantes, quas clericali habitu cantuque non paucas eliciunt, ut is cum attributo domui cenſu permixtis commodè habeatur. Ibidemque non exiguum pro puellis pauperibus domicilium, quibus *Bonarum filiarum* nomen, & magnus numerus parentib. carentium, bonas artes capeſſere coguntur, prodit *Buzellin. in annal. gallofrand. lib. 10. fol. 489.* Commendat idem Senatus Inſulenſis ſtudium, qui dimiſſos urbe cives, quorum domus lues invaſit, & quibus neceſſitates non ſuppetant, capitatim quotidie pecunia donant alendis ſub tabernaculis in patenti prato ex aſſeribus ærarii publici ſumptu exſtructis, largiter commodèque familiis. Laborantibus quoque inopia puerperis ſubveniunt attributo dudum ipſis domicilio, quod hoſpitale D. Jacobi appellant, in quo ſi mulier partui proxima deferri cupiat, ex præſcripto Senatus, ei tamdiu neceſſaria ſuppeditantur, donec tempus expleat purgationis, aut vires recuperet. *In hiſtor. gallo-frandr. lib. 2.*

In Gelria Xenodochium intra Velaviam, quod hoſpitale Inſulæ Dei in Velva appellatur à Reinaldo I. comite, plurimis pro egenorum agape ac beneficentia, erogatis ſportulis, deſcribitur ab *Iſaac Pontano hiſt. Gelricæ lib. 6. anno 1305. fol. 177. & 179.* qui de Arheimenſi, & Hattamenſi Xenodoch. appellato Mons Dei, quod priori ſubeſt, meminit.

In Brabantia S. Gertruda Grimoaldi ſoror hoſpita-

ſpitalitatis cauſa prædia omnia ampliſſimi patrimonii Eccleſiæ contulit, narrante *Harao in annal. Duc. Brabant. p. 1. fol. 13.* Et inſigne eſt Xenodochium à Sophia S. Eliſabethæ filia excitatum, urbiſque Lovanienſis præcipuum *ex eod. fol. 253.*

Sileo de Hollandia, in qua ægris in valetudinariis, & benè valentibus in Legatorum ædibus, ut Hagæ-Comitum, & in hoſpitiis uniuscujusque provinciæ Ablegatorum palàm & gratuitò exercetur. In ſingulis verò urbium inſulis, ſtatutis pluries in anno temporibus, ad peculiarem domum vocantur ex utroque ſexu vicini, qui triendiale habent, pecuniâ ipſorum crumenæ contributâ, convivium, intermiſſis ludicris & choræis: quo modo perbellè jus renovant amicitiæ.

Hæc neceſſitudo in omnibus quidem inferioris Germaniæ nationibus diffuſa eſt, ad Flandros, Selandos, Friſiosque, quorum eximiam etiam liberalitatem *Adam. Bremenſ.* ita deſcribit: *Abeunti ſi quid popoſceris concedere moris, & poſcendi invicem eadem facilitas.* Eundemque morem in Germania ſuperiori: *Gaudent* inquit *muneribus; ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur*; Quorum tamen hoſpitalitatem, quam & nos abundè ſatis experti ſumus, *Tacit.* in eorum moribus animadvertit, ſcribit enim: *Convictibus & hoſpitiis non alia gens effuſius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur: pro fortuna quiſq; apparatis epulis excipit; cùm defecerit qui modò hoſpes fuerat* (id eſt qui exceperat) *monſtrator hoſpitii & comes, proximam domum non invitati adeunt, nec intereſt: pari humanitate excipiuntur, notum ignotumq; quantum ad jus hoſpitij nemo diſcernit.* Et paulò pòſt: *Victus inter hoſpites comiſſ. Caſ.* idem ſen-

ſtis

ſuis comment. lib. 6. *Hoſpites violare fas non putant, qui quaq; de cauſa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, ſanctosq; habent, iis omnium domus patent, victusq; communicatur.* Illuſtrat *Philipp. Cluver. Germ. Antiq. lib.* 1. qui in Celtis, ait, iis maximè, qui è Saxonico genere mare accolunt, Angliſque Germanicæ gentis origine conſuetudinem hanc quæ hodie duratemiſſam. Et affertur quoad Celtiberos Hiſpanicam gentem præ aliis antiquitùs hoſpitali dignatam laude *tex. Diodori lib.* 5. *ibi: quod ad mores attinet ergà maleficos & hoſtes ſunt crudeles, ergà hoſpites verò mites atq; humani, peregrinis enim omnibus hoſpitium ultrà offerunt, hoſpitalitatisq; inter ſe officiis certant: quos peregrini comitantur, eos laudant, & Diis caros arbitrantur.* qui paulò antè de Germanis ſimul & Gallis: *ad convivia peregrinos quoq; vocant, cœnaq; finita, tum demùm qui ſint, quidque petitum venerint ſciſcitantur.* De Sueonibus, qui vulgò Suedi vocantur, ſic Bremenſis: *Hoſpitalitate ſunt inſignes Sueones, quibus eſt omni probro gravius hoſpitium negare tranſeuntibus; ita ut certamen habeant inter ſe, quis dignus ſit hoſpitem recipere, cui omnia exhibent humanitatis jura, quot illic commorari voluerit diebus; ad amicos ſuos illum certatim per ſingulas dirigit manſiones.*

Quoad Francorum hoſpitalitatem videatur lex *Burgund. Ioſeph. lib. 4. cap. ult. pag.* 109. *& in legib. Salic. tit.* 59. *ibi: panem dare, aut in hoſpitium colligere.* Quàm verò ſit natio hujuſmodi tantæ virtuti addicta, vel indè dignoſcitur, quòd nulla omninò civitas exigua reperiatur, in qua locus pro hoſpitibus peregrinis àc infirmis curandis deſit, imò plura propè inveniantur hoſpitalia, quàm oppida. Pariſiis inter loca ſolis peregrinis charitate peculiari deſtinata, nume-

rantur domus S. Catharinæ, hoſpitale S. Gervaſii, aliudque in loco *la Greve*, quæ à ſanctimonialibus Ordinis S. Auguſtini vulgò *les Hoſpitalieres* reguntur. Lugduni mira effulget erga advenas hoſpitalitas, cùm excubiæ quæ ſunt in foribus civitatis, non modò pro urbis tutela, verùm exterorum favore videantur conſtitutæ; quia petito ſcriptoque ipſorum nomine, diverſorium iis aſſignant ſi habeant unde ſolvant, aliàs hoſpitale, additâ eleemoſynâ pro viatico. Ponruſiæ & Compendii ſunt duo inſignia pro peregrinis & infirmis in publico loco S. Ludovici Regis hoſpitalitatis monumenta. In urbe Tornodorum prope Burgundiam ad Campaniæ fines celebre eſt hoſpitale, peregrinorum & ægrotantium gratiâ excitatum à Margarita uxore quondam Caroli Andegavenſis, Neapoli, Siciliæ, & Hieruſalem Regis, quo in univerſa Gallia nullum magnificentius, habetque plures manſiones etiam pro equitibus ob infortunium aliquod ad paupertatem redactis, ibique præfata Regina poſt Regis obitum piè pauperum obſequio, quibus quotidie propriis manibus miniſtrabat, mancipata ad mortem uſque permanſit. Hodie autem circum Regni hujus littora Regis mandato monachi plures è monaſteriis ſuis ad alia ejusdem ordinis dimiſſi: quæ vacua cœnobia ad officialium maritimorum & Regiæ claſſis præfectorum applicata, ex ipſiſmet locorum redditibus, hoſpitationem gratuitam, ſauciis opem afferunt, ſemperque præſto retinent milites evocandos.

In Anglia planè incomparabilem experti noſmet ſumus hoſpitalitatem, cùm illuc inter primos generoſos Regiorum Legatorum comites Batavia uni-

universa perlustrata, appulimus; tum apud varios proceres, & alicubi mercatores, qui ad miraculum plura gratuitò præstiterunt, tum Londini apud virum nobilissimum Thomam Howartium de Norfolcia magnum Reginæ Eleemosynarium, qui cuncta humanitatis signa liberalissimè suppeditavit: nec minùs ibidem apud alios, qui rem familiarem & pecuniam exteris offerebant. Unde, quanquam toto sint orbe divisi, mirum sanè sit quòd Horatius scribat *Britannos hospitibus feros*, repetatque *Britannos inhospitales*, nisi fortè aliud hominum genus tunc temporis sit contemplatus. Quare doctiss. Verulamius *de Augm. scient. lib. 8. cap. 3. in fin. n. 3.* de patria moderna hospitalitate sic scribit: *Certissimum est, quòd magnificentia & splendor ille hospitalis, atque famulitia ac veluti satellitia ampla, quæ in more sunt apud Nobiles & generosos in Anglia; ad potentiam militarem apprimè conducunt: ubi contra, Nobilium obscura & magis privata in se reducta vitæ ratio copias militares minuit.*

In multis Hispaniæ partibus ante septuaginta annos gratis hospitio suscipiebantur & alebantur hospites, suo tempore scribit *Navarr. cons. 9. n. 2. lib. 3. tit. de censib. vol. 1.* Hodie vero apud nonnullas cathedrales erecta hospitalia laudabiliter profert in aliàs *cit. tract. de cathed. Eccl. Frances c. 27. n. 88. & 94.* exẽplo Cæsaraugustanì prope S. Salvatoris Metropolitanam Ecclesiam pro peregrinis, qui à ministro electo à capitulo recipiuntur ibi ac sustentantur; & Nosocomii in eadem civitate erecti Deiparæ de gratia, ubi omnes, absque nationum differentia, tam Christianorum quam Turcarum infirmitates curantur. Quam assuetudinem imitatus Paulus Jovius junior

nior Episcopus Nucerinus palatium amplum prope Ecclesiam suam erexit, & singulari devotionis exemplo ac memorabili pietate hospitalitati se consecravit, ut *Borra.* narrat *controv.* 2. *n.* 28. Et ad hispanicam pietatem exemplũ facit Illustrissimæ Viraginis D. Catharinæ de Perea uxoris Illustriss. D. Lupi Ponce de Leon, quæ in Utrariensi oppido ex nomine Resurrectionis Jesu Christi pro egenis infirmis exteris, morbis diversis laborantibus curandis in domo propria hospitale condidit, & magno peculio auxit.

Colchorum seu Mengrellensium non impar prænarratis Hospitalitas; hi enim sive advenæ sive accolæ sint lares repetentes invicem in genua procumbendo salutantur, & fœminæ virorum genibus oscula figunt: si infirmos invisant super eorum lecto, tres vel quatuor argenteos nummos effundunt, Deumque flexis genibus pro eorum bona valetudine rogant. Comedentes, tum in mensa, tum in prandio januam triclinii nõ claudunt, admittentes transeuntes quosque, imo trahentes quoque præviis Xeniis ac familiari apparatu: & in eorum ædibus cubiculum cæteris majus extructum est, quod *Orchos* appellant, pro excipiendis advenis, igneque fovendis si aura frigida sit, antequam ad Dominum deducantur, quod hyemali tempore est ipsorum refectorium, ut scribit *P. Lambert. in relationib. Colchidis cap. 6. ac* 21.

Africæ vero meditatus hujusmodi studium, comperio summum jam pridem fuisse, eorum favore qui publicâ de causa iter agebant, ut scilicet ab omni inquietitudine liberarentur ex Cæsaris Theodosii beneficentia, de quâ in ejus *Cod. lib. 7. tit. de Metat. l.*

10. tri-

10. triplici ratione, ut scilicet *commeantes mensorem præmittere non possent, ut celeriter transire deberent, ut nihil annonæ vel capiti exigere*, quibus addit insignis Scholiastes *Gothofred.* neque sponte quicquam præbere licuisse. Verum postmodum Africæ utilitati magis consulens Imperator, legem præfatam sustulit, *ut in eod. tit. l. 12.*

Imminuta sunt etiam hæc officia in urbe Fessa, de qua sic memoravit *Io. Leo African. in ejus descript. lib. 3. pag. 113. in hoc oppido ducenta fere hospitia, atque inter hac maxima quæ in eminentiori urbis parte summo templo sunt viciniora. Horum quodlibet triplicem habet contignationem: cubicula autem centum & viginti aut etiam plura. Est & cuique suus fons cum secessu, & aquaductus elegantissimus, qui sordes omnes afferunt. Neque unquam majora ædificia me vidisse memini.* Imminuta inquam ex bellorum causa, nec gratuito hospitantur quam selecti; sive Doctores, sive egeni cives, cum exteris unicum tantum sit valetudinarium, in quo famulatus atque alimenta præstantur absque pharmacis ullis, ibique mansiones adsunt pro Insanis: non tamen deficiunt cujusvis generis ministri, ut *ex eodem Leone* refert *Io. Bapt. Ramusius vol. 1. Itiner. fol. 33.*

Viget nihilominus in Marochensi Regno, scribit namque *August. Curio: qui in urbe degunt, moribus sunt satis probatis, hospitales & humani, nam custodibus portarum mandant, simul ac peregrinus quispiam appulerit, inquirant ab eo, habeatne certum aliquem in civitate amicum: qui si habere se neget, ab iis ad hospitium deducitur; Ita nullus peregrinus pecuniam hospiti suo numerat, sed humaniter & gratis accipitur, publicum enim pro nullis aliis quam peregrinis destinatum est hospitium.*

Nec minora narrantur de incolis novi orbis, ad

quos humanissimus amicitiæ ac misericordiæ usus facilè pertransiit. Scribit enim de India Occidentali *Eloquentiss. P. Maffeius in histor. lib. 2. select. epist. ex epist. Ariæ Sancii ad socios è Burgo in Iaponiis: habent quosdam quasi Oeconomos ægrotis ac pauperibus sublevandis pecunia, quæ tum ad eam rem, tum ad curanda Christianorum funera in commune confertur.* Præfat. Ramus. *vol. 3. in hist. Indicis* in urbe S. Dominici valetudinarii meminit pro egenis ægrotis per Hispanos constructi. Et de Lima nupera Peruviæ Regni metropoli hæc affert *Io. de Laert. in Novo orbe, seu descript. India Occid. lib. 10. cap. 22. Adest Casa Charitatis, quæ accipit puellas pauperculas & fœminas valetudinarias. Item hospitale S. Annæ, in quo curantur indigenæ infirmi, habetq; in annuo redditu triginta millia ducatorum. Aliud opulentum hospitale Hispanorum, & aliud convalescentium, ad quod ex hospitali majori Hispani traducuntur, ut ibidem hæreant donec laborem possint tolerare.* At silentio nequaquam involvenda est Agrippinensis urbis hospitalitas, utpote præstantissima, quæ capiti huic merito finem dabit. Sunt hic celebriores quinque numero hospitales ædes, tum pro infirmis quibusque etiam mente captis, tum pro expositis, qui educatione absolutâ, centum daleris, ut opificio addici, vel matrimonio jungi valeant, juvantur; & peregrinis, maximè Ungaricis qui singulis septenniis sacram trium Regum peregrinationem ineunt, & triduum à Magistratu publicè tractantur. Senes utriusque sexus, præter hospitium, de cerevisia & pecuniæ quota singulis septimanis providentur. Convẽtuales religiosæ regulam SS. Augustini præcipuè ac Francisci sectantes in quinque cœnobiis, absque ullo clausuræ voto, urbem circumeunt, atque infir-

morum utriusq; sexus civitatensium curam gerunt: quo in labore operam impendunt Fratres Alexiani, qui ad cadavera quoque sepelienda, ex primæva institutione, religiosè tenentur. Et ob singulare Divinæ providentiæ privilegium, liberationis nempe ab hæreticorum perfidia, gratum ac hospitalem exhibent sensum ex S. C. in Theophoria publica seu sacris precibus feria sexta post Paschatis S. Resurrectionis octavam, dum venerabile Sacramentum comitantibus tessera ex ærario præbetur, quâ senatoriæ cellæ vas optimi vini exhiberi consuetum est, ut nos in ea urbe commorantes adnotavimus. Tunc autem, anno scilicet 1673. & sequẽti, ut orbis christianus nimium per arma scissus tandem componeretur, Legati Regum ac Principum, pluresque Magnatum Ministri status, ad promovendum pacis negotium, convenerant: quorum nomina meritò, ac necessitudinis nostræ gratia rescribere hîc non piget. In ordine enim Legatorum numerabantur pro Cæsare Illustriss. & Excellentissimi DD. Leopoldus Wilhelmus *Comes de Cônigsegg* Consiliarius Intimus ac Procancellarius Imperii: Franciscus *Baro de Lisola* & *Io. Fischer* Cameræ Aulicæ Consiliarii. A parte Regis Christianiss. Illustriss. & Excellent. DD. Carolus Dailly Par Franciæ *Dux de Chaulne* & Pequigny, Videsmus Ambianensis, Regius Consiliarius, Patriæ ac Ducatus Britanniæ Prorex: *Honoratus Courtin*, & *Paulus Barillon d'Amoncourt* ab intimis uterque ac secretiorib. consiliis. Pro Rege magnæ Britanniæ Illustriss. ac Excellentiss. DD. *Leolinus Ienskinchs* eques Angliæ auratus, Curiæ supremæ Admiralitatis Judex, membrum Parlamenti: & *Iosephus VVilliamson*, etiam eques ac membrum Parlamenti,

 menti,

menti, privati Regis Consilii Clericus, ac status scriptorum Archivarius. Pro præpotentibus fœderatarum Belgii provinciarum Ordinibus generalibus Illustriss. & Excellentiss. DD. *Hieronymus de Beverningk* quondam consul urbis Goudæ & Consiliarius ac Thesaurarius Generalis cunctarum provinciarum : *Guillelmus* Nassavius Dominus *d'Odych* & Corgenæ, Primus nobilis & repræsentans ordinem nobilitatis in consessu ordinum & consilio comitatus Zelandiæ: *Guilielmus de Haren* Grietmannus Bildtii; *Ioannes Isbrands* Hooftlingus Hoochlerhæ, & Consiliarius Groningæ; Primus scilicet pro Hollandia, alter pro Zelandia, tertius pro Frisia, postremus pro Groninga , cùm cæteræ provinciæ tunc temporis pertinerent ad Christianiss. Omnes verò supradicti Legati extraordinarii ac Plenipotentiarii. Pro Mediationis negotio Illustriss. & Excellentiss. DD. *Claudius Tott* Comes de Caeleborg , liber Baro de Sundty, Dominus in Ekolsund & Lehalslehn, sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ ac Regni Senator, Campi Mareschallus Generalis, & Livoniæ Gubernator: *Petrus Sparre* Liber Baro in Croneberg, Dominus in Kynes & Belleberg, militiæ pedestris Generalis, & Gubernator in Elfsborgslehn & Dahl : *Eduvardus Ehrensteen* Hæreditarius in Forsbygord, Lyndesio & Barhelstorp, S.R.M. Sueciæ Consiliarius, & Cancellariæ Secretarius Status. Ex parte Sereniss. Electoris Coloniensis Legati ac Plenipotentiari Illustriss. Principes ac germani fratres Franciscus Egon *Argentoratensis Episcopus*, & *Guillielmus Comites à Furstenbergh*, &c. Pro Sereniss. Episcopo Monasteriensi Legati ac Plenipot. Illustriss. DD. *Fridericus Baro à Smising* Ordinis Hierosolym. S. Jo. Eques & Commendata-

datarius in Francfort: *Goswvinus Baro à Droste* ex Fischeving, Cathedralium Ecclesiarum Monasteriensis & Osnaburgensis Bursarius & respective Capitularis: *VVernerus zur Muehlem* Jurium Doctor ac Vicecancellarius; omnes verò præfati Principis Intimi Consiliarii. Inter Ablegatos, pro Rege Catholico Illustriss. DD. *Emanuel de Lira* ad aulam Hispanicam Oratorum Potestatum extranearum Introductor; *Petrus Franciscus* Blondel Dominus d'Oudenhove, S. Mariæ, Michelbuq. &c. & ab intimis ac secretioribus consiliis Regis. Pro Rege Daniæ Perillust. D. *Meierus* Regius Secretarius. Pro sereniss. Ducibus Bavariæ D. *Consiliarius Maier*: Neoburgico D. *Consiliarius Stratman*: Hannoveriensi Protocancellarius de With. Pro Sereniss. Electore Brandemburgico Illustriss. D. Otto liber *Baro de Schwerin* Consiliarius intimus, Camerarius & Capitaneus Comitatûs Rupinensis, Electoratûs Brandemburgici Camerarius hæreditarius, nec non S. Joannis Eques Commendatar. & plures alii pro Electorib. Moguntino ac Trevirensi, Duce Lotharingiæ, &c. quemadmodum Doctiss. D. *Ezechiel Spanhemius* Consiliarius & Ablegatus pro Sereniss. Comite Palatino Rheni Electore. Præter peculiares Legatorum Secretarios, erat suus unicuiq; Legationi, scilicet Suecicæ D. *Gildenstolpe* Regi ab epistolis, Anglicanæ D. *Cedli*, Batavicæ D. *Mastrichtius* aliique. Porro vivebant omnes splendidissimè, præcipuè Legati, quorum publica quotidie (vocatis etiam Religiosis apud Acatholicos) in suis ædibus ac liberalis mensa; ibique docti ac politici, juxta summum ipsorum in bonis artibus ac rebus experimentum, ac verè sympoſiaci sermones instituebantur: sæpissimè sese mutuo invitabant una

cum Domicellis, cum quibus Luſoria præſtita & choreæ, erant enim in eorum familiis, ultra medicos, chirurgos, & Concionatores ſeu Miniſtros, plurimi inſtrumentis muſicis ludentes. Indies gallicâ linguâ Comœdiæ, nec raro extra urbem venationes. Locus conferentiæ conſtitutus cœnobium erat PP. Carmelitarum, ad quod pro Mediatorum libito per ſelectum virum *D. de La Sala* vocatio: ibi verò in ſuo conclavi Mediatores inſtruebat, eoſque ſive Ablegatos auſcultabat unaquæque Legatio, traditis hinc inde acceptiſque epiſtolis, quarum collectanea anno 1674. ſub tit. *Tractat. Hiſtorico-Politic. D. Henrici Brevver Iuliacenſis* ibid. prodiit. Verum concordiis ibi inter Cæſarem ac Sereniſſ. Electorem Colonienſem ac Principem Monaſterienſem: inter hos ac Status Generales Belgii fœderati, nec non inter Sereniſſ. Electorem Brandemburgicum & Neoburgicum Ducem initis, Pacis univerſalis negotium eo in loco irritum fuit, cùm quiſque ob publicum infortunium, ad Lares revocaretur, inſitâ per eos tamen in animis cunctorum, ac evulgatâ undequaque inſignis Hoſpitalitatis Colonienſis memoriâ.

Quibus ſupra fuſe relatis, emicat profectò frequentiſſimum ac ferè idem inter humaniores & barbaros voluntatis argumentum.




ABB.

ABB. JO. BAPT. PACICHELLII COMMENTAR. DE IURE HOSPITAL.

LIBER V.

De mercennario Hospitalitatis Iure.

CAPUT I.

Caupona, Taberna, ac Diversorium quid. Initium investigatur: quove loci construenda, resolvitur.

MErcennario Hospitalitatis juri tanquam per se minus nobili, & à puriori amicitiæ usu magis dissito, postremus locus meritò tribuitur: cuj⁹ materiæ dilucidationem, eodem tamen animi ductu, quo gratuitam, in pręsens aggredimur.

Caupona dicitur ex Festo, quem primum *Isidor.* deinde *Vossius* sequuntur, quasi *copona* scilicet Taberna; & interpretatur locus ubi mercede accepta viatores recipiuntur, licet viator in cauponam excipia-

cipiatur interdum tanquam hoſpes gratis, ut *Egninus Baro* notat *oper.to.1.ſeu lib.4.digeſt.tit. naut. caup. ſtabul.l.6.* Vel locus ubi vinum & edulia venduntur *ex d.l nauta Io.Calvin.in lexic.* Græcè *Pandochium* appellatur, unde caupo ipſe *Pandocheus.*

Taberna verò largius nomen videtur cauponâ, ſic dicta à tabulis, quòd ex iis olim fieret, ſi Feſto credimus; vel quod tabulis clauderetur, ſi Ulpiano *in l.183.de verb.ſignif.* In caſtris forſan vel in nundinis uſitata: Unde contubernales milites expeditionum comites iiſdem tectos pellibus, ac proinde majore junctos neceſſitudine ſcribit *Lævin. Torrentius ad Sueton.in Veſpas.cap.3.Iſidor.* verò *Peluſiota: per tabernas,* ait, *latinâ linguâ hoſpitia quadam, aut cauponarum uſus deſignantur epiſt.337.*

Diverſorium ſimiliter locus eſt, in quo viatores divertunt, quem Copæ ſeu Caupones olim exercuiſſe *in Nerone Sueton.* oſtendit ibi: *Quoties Oſtiam Tiberi deflueret, aut Bajanum ſinum prænavigaret, diſpoſitæ per littora & ripas diverſoria tabernæ parabantur, inſignes ganeâ & matronarum inſtitorio copas imitantiū, atque hinc inde hortantium ut appelleret.* Cui adjectum fuiſſe ſtabulum, proximum ſcilicet animalium locum, in quo reclinatus fuit ſanctiſſ. Servator, cùm locus non eſſet in diverſorio, ſuadet vetuſtus interpres græcus vertens in *ſtabulum, præſepium: Lucæ 2.* Quod forte fuit in rupe impreſſum, ut ex Juſtino *Petav.in ration.tempor.p.2.lib.4.cap 2.* Hodiè Italice diverſorium, eſſet *l'albergo, ſive camera locanda*; ex quo patet tres has voces quandoque apud auctores pro eadem re ſumi conſuetas. Dicuntur etiam hoſpitia, id eſt, manſiones atque habitationes, ad quas viatores noctis interventu ſe recipiunt ex *Plin. hiſtor. lib.*

12. *cap.* 14. Vide *Canis. de Maria Deipara lib.* 4. *cap.* 9. ubi quale fuerit Virginis Christum parientis hospitium.

Primam introductionem Lydijs tribuit *Herodot. in* 1. causam tamen, quam profert, non puto veram esse, ut scilicet ludos, quorum dicuntur authores, liberiùs exercerent: cùm ex necessitate potiùs, quàm voluptate, si rem æquè perpendere velimus, videatur hujusmodi institutio.

Olim fuisse circa forum cauponas vel tabernas tradunt multi, & fortasse ante illas Mercurij Cauponarij simulacrum erat constitutum, cùm ipsius quondam numen mercimoniorum habitum fuerit, ut ex Camerario *Taubmannus in Plauti Curcul. act.* 2. *sc.* 3. Supra verò, ex Cauponum versutia in advenis invitandis inscriptum: *Hospes hîc benè manebis, hîc summum bonum voluptas est, paratus erit istius domicilij custos, hospitalis humanus &c.* ex Seneca *epistol.* 3. 21. Nec inverisimile est, ob securitatem, ante illas catenas ferreas grandes inductas, ut *Iuvenal. sat.* 3.

Nec tamen hæc tantùm metuas: nam qui spoliet te
Non deerit, clausis domibus postquam omnis ubique
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.

Tabernas habere interest Reipublicæ peregrinantium causâ, & suadet publica utilitas, quemadmodum *Marius Muta* ratiocinatur in *capit Regni Sicil. to.* 2. *cap.* 38. *n.* 5. *&* 6. quibus etiam Indi seu Temistitani utuntur, teste *Ferdinando Cortesio in* 3. *vol. itiner. Ramusij fol.* 239. nec illas in suis urbibus haud patiuntur, quàm qui hospitalitate scatent gratuitâ, veluti Tedneltani, de quibus aliàs citatus *Africanus Leo.* Quoad illas variarum gentium, præcipuè Gallo-

lorum ritus, fusè refert *Simon Majol. dier. canicul.p. 2.coll. 5. fol. 555.* ubi nimiam reprehendit earum frequentiam, asseritque quò plures sunt, eò majorem præbere solitas scelerum omnium ac flagitiorum occasionem atque licentiam.

Septentrionales in ijs determinandis admodum prudentes, ne advenæ ac peregrini, quibus pecunia suppetit, debito fraudentur subsidio. Hinc est quòd secundùm leges Sueco-goticas diversoria ad vias publicas constituuntur duobus milliaribus vel semitribus à se invicem, non remotius. In majori pago directores esse debent, ubi diversoria esse nequeunt. Præfectis territorialibus & judicio territoriali munus est constituere hospites & directores in quovis territorio: quòd si non fiat, & de hoc viatores conquerantur, mulctabitur Præfectus territorij sex marcis pro quolibet diversorio: caveturque in *legibus Regni Sueciæ provincialibus à Carolo IX. publicatis, & à Loccenio editis tit.* 1. *cap.* 24. Juxta leges verò ejusdem Regni civiles *tit.* 1. *cap.* 13. in emporio quolibet duo ad minus diversoria esse debent.

De jure autem communi ubicunque construi & exerceri valent, si lex particularis non officiat, statuto non obstante universitatis seu Domini castri habentis hospitia, disponente alia ædificari, & ædificatis uti non posse, ut consulendo tradunt *Covarruv. in reg. possessor malæ fidei de reg. jur. in 6. §. 4. n.7.* & *Io. Vincent. Honded. cons. 84. n. 58.* & decisum referunt *Boer. dec.* 125. & *Thesaur. in decis. Pedem.* 16. Etiam juxta alterius hospitium, etsi vicino diminuatur lucrum, ex *Baldo in cons.* 129. *vol.* 2. Dummodò tamen loca honesta non sint, cùm in ijs cauponarum exercitium sit vetitum, ex *Menoch. cons. 666. n.* 13.

In

In Urbe hospitium hujusmodi, seu vinariam tabernam construere possunt Deputati Charitatis, ut vocant, in carceribus Turris Nonæ ex *Pij V.* Sanctiss. Pontificis *constitut.* pro carceratorum usu, ab omni datio & dohana liberam, quæ immunitas ultra tamen haud extenditur: ibique à carcerum capitaneo exercetur, ut docet *Scannarol, in tract. de Visit. carcerat. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 39. & *in append. ad eund. tract. cap.* 7. *n.* 6.

Quòd si dubium oriatur circa ædificationem, vel assignationem diversorij vel cauponæ, provisio penes magistratum erit, notantibus *Besoldo in thesaur. pract.* & *Georg. Mundio de munerib. patrimon. ordin, cap.* 2. *n.* 75.

Si autem, quod absit, Princeps aliquo modo ejus constructionem & usum interdicat, putant Doctores id æquissimum fore belli indicendi causam. Ita *Victoria relect. de Indis Insul. p.* 2. *init* ac *Diana p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 74. ejusque Epitomator *Cotonius verb. pugna seu bellum n.* 22.

CAPUT II.

Multiplices Cauponariæ artis species afferuntur, quibus Braxatoria meritò jungenda. Ignobiles utrum eæ declaranda.

SPecierum Cauponariæ artis varietas in eo consistit, ut in uno loco vinum vendatur, in alio ejusdem fit mercimonium & mixtura, alibi verò tectum, vel stabulum præstetur. Ex quorum exacta interpretatione inter diversorium & cauponam di-

verſitatis nonnihil eſſe, animadvertit poſt Salmâſium eruditè *P. Giballin. in de univ. rer. human. negotiat.lib. 1. cap. 1. a. 2. n. 6. vol. 1.* & in pleriſque unà cùm domicilii uſu, ſi honeſtiora ſint, eſculenta & poculenta peregrinis, mercede præſtitâ, exhiberi, notat *Stuch. lib. 1. antiq. conviv. cap. 28.* ubi & de ſtabulis. *Gloſſ. in l. & habet in verb. non intelliguntur, & ibi DD. ff. de precar.* & *Noal conſ. 9. n. 8.* quibus ſpeciebus meritò adjungimus ex naturali affinitate cereviſiæ braxationem vel mercaturam, de qua paulò poſt. *Cauponari* verò generale nomen, & popinam & ganeas exercere, cauponationis ſpecies dixit *Petr. Gregor. ſyntagm. lib. 39. cap. 7. n. 9.* Quemadmodum olim multiplex tabernarum uſus conſtat ex Dione, qui *lib. 60. hiſtor.* ſcribit, tabernas, quò potantes comeabant, Claudium demolitum fuiſſe, atque edixiſſe, ne quis carnem elixam aut aquam calidam venderet; quod ante Claudij imperium ſub Tiberio cautum fuiſſe eſt veriſimile; nam & Nero interdixit, ne quid in popina cocti præter legumina & olera veniret *Sueton.* teſte *in Nerone cap. 16.* idemque feciſſe Veſpaſianum *Xiphil.* tradit.

Quicquid tamen ſit, aleatorum ſeu perditorum locus caupona, ſeu vinaria taberna cenſetur ex *l. ſervum meum 26. ff. de injur.* ubi ex hac ratione Cajus injuriam fieri patri dicit aut Domino, ſi quis filium aut ſervum in popinam duxerit. Et in *l. quæ adulterium 29. C. ad l. Iul. de adulter.* non immeritò ea pro proſtibulo habetur, cùm ibi ut plurimùm ventri & lucro tantùm indulgeatur. Arguuntur hinc temulentiæ Byzantij ab *Æliano lib. 13. cap. 14.* quòd ſuis ædibus peregrinis relictis, ut in cauponas tranſmigrarent, eas mercede locabant; uxores etiam peticu-

riculo prostitutionis in illis relinquentes. Quare *in caupona*, inquit *Isocrat. in areopagit. orat. vel bibere vel edere ex antiquis nullus debebat, vel domesticus familiaris: nam dabant operam ut graves esse viderentur, non autem scurræ.* Et ex *Athen.lib.13.cap.7.* quidam qui pransus erat in caupona, prohibitus fuit ne in Areopagum descenderet. Ex actibus enim hujusmodi reiteratis, naturâ reluctante, ad habitum popinonis facilis est transitus, quod nomen opprobrio vel maximo scatere demonstrat *Horat.2.sermon.* ibi:

Imbecillus, iners, sim quidvis: adde popino.

Et proprium cauponium instrumentum, lenocinium dixit *Brisson.* sive, possemus nos addere, ludorum fraudes.

Cauponariam artem propterea exercere apud Græcos Romanosq; ignominiosissimum olim fuisse, post Dionem, qui Claudium Cæsarem cauponas olim sustulisse, scribit *Platon. lib.11. de legib.* cauponariam artem suis civibus interdicentem *Halicarnass.* idem de civibus Romanis *lib.9. antiq. Cels. lib. 20 cap.14.* & *Plutarc. 2. Problem. sympos.* 10. advertit scitè in *lib. de tesser. Tomasin. cap.29. Iustin.* autem ex *Trogo lib.1.* ait: *Cauponari inter pœnas severas, quià cùm rebellâssent in Cyrum, Lydij iterum victi, Cyrus tantùm illis arma & equos adimi voluit pro sævissima pœna, jussitque illos cauponias, ludicras artes, & lenocinia exercere. Et sic gens industriâ quondam potens, & manu strenua, effœminata mollitie luxuriâque, virtutem pristinam perdidit. Et quos ante Cyrum invictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos, otium ac luxuria superavit.* Quæ vilior profectò pœna strenuo irrigari posset viro? Et non tantùm exercitium, sed frequentia ex prædictis causis hodie prohibita est maximè Clericis.

Probatur id *ex cap. clerici de vita & honest. cler.* ibi: *Clerici tabernas prorsus evitent, nisi causâ necessitatis in itinere constitutos cogat.* Similia in *Concil. Carthag.* 4. *cap.* 27. *African. cap.* 7. *Turon.* 3. *cap.* 21. *cap. non oportet clericos. cap. nulli clerico.* & *cap. clerici dist* 44. quia ex Divino præcepto corpora crapulâ & ebrietate nequaquam gravanda sunt *cap. à crapula de vita & honest. cler.* idque vetitum ijs est sub pœna depositionis *d. cap. non oportet,* excepto semper itineris casu, de quo *Velasc. in de privil. miserab. person. q.* 15. *n.* 45. *p.* 2. Imò Laodicense Concil. ad laicos prohibitionem extendit, quos ex symbolis, quæ vulgus comessalia appellat, non vult convivia celebrare *cap. non oportet ministros,* & *cap. comessationes d. dist.* 44. quanquam clerico propter necessariam honestamque negotiationem taberna permittatur ex *gloss. in can. negotiationem* 88. *dis.* exercenda tamen per alium, non verò per se ipsum. Et hodie in Galliæ civitatibus & oppidis, repetitis constitutionibus, singulis annis uxoratis, & civibus, & oppidanis voce præconis ganeas & diversoria viatorum causâ instituta prohiberi scribit *Petr. Gregor.* ubi suprà *nu.* 2. quæ inducta fuerunt in odium fortasse eorum, qui oblatâ occasione, in caupona sunt assidui. Undè abest dubium, quin caupones maximâ supra quoscumque ignobilitatis notâ dedecorentur, quod fusiùs & nos in *seq. cap.* explanabimus.

Braxatoria tantum in Germania & per septentrionem universum frequentissima, & si inter cauponarias locum obtineat, non tamen in eam hujusmodi macula videtur irroganda; Versatur enim in operatione cerevisiæ vulgo *Birra*, quæ præparatur ex polenta, nimirum materia ex tritico & hordeo,

aqua

aqua & lupulo, & quibusdam in locis ex avena & herbis, docente *Bude in tract. de Braxandi jure p. 1. cap. 3.* Illam describit *Vopiscus Fortunatus Plempius*, quem sequitur novissime *P. Benedict. de Bacquere in suo Senum Medico observ. 19.* iis verbis: est potus ex decocto tritici, hordei & lupuli confectus: ea est vini vicaria, ut ex viribus & facultatibus utriusque colligere licet; sicut enim vinum calefacit, exhilarat & inebriat, ita & cerevisia: quibus ulterius ad mirabiles ejus effectus progreditur, quorum non infimus est vaporum calidiorum refrigeratio & concoctionis promotio; Verum ut bona sit ac salubris, hæc salerni schola requirit *cap. 17.*

Non acidum sapiat cervisia, sit bene clara
Ex granis sit cocta bonis, satis ac veterata.

Et præfat. *Plempius: recens meatus obstruit, & colicis & calculosis obest:* pluraque apud *Pantin. enarrat. in lib. 2. cap. 18. Corn. Celsi.* Braxare vero idem est ac illam coquere, imo & vendere secundum *Bude p. 1 cap. 2.* sed melius vocem explicat *Spelmann. in suo glossar.* cum *Brasium* hordeum sit medicatum, ex quo cervisia conficitur, deductum à græco Βράσσω id est bullio seu effundo, unde potifices qui potum coquunt effunduntque Gall. *Brasseurs* atque inde forensibus *Brasiatores* dicti. Hi, veluti peculiare signum, succingulum breve habent ex albo lino circumdatum, quo nunquam exuto gloriari videntur.

Illam igitur braxare ac vendere, Saxonico jure civibus civitatisque particibus ex observantia permissum testatur fuse *Id. Bude p. 1. cap. 2.* Et in plerisque Germaniæ locis cauponas cerevisiarias exercere nobilibus quoque permissum refert *Io. Marquard. de jure mercator. lib. 1, cap. 10. n. 65. & seqq.* idque tum

ex necessitate, tum etiam ratione, cum non tam facili cerevisia, quemadmodum vinum, per ebrietatem mentem alteret; licet quandoque id per accidens contingat.

Circa ejus tamen venditionem aliquid est advertendum; Quod scilicet cauponas exercentes, incolas cogere non valent ut suam & non aliam emant, cum actus sint voluntarii ac facultativi, ad quos multorum annorum spatio nemo cogendus est, eo modo prorsus, quo molendinum habens cogere aliquem non potest ut in suo tantum molendino molat, nec qui furnum ut in suo solummodo panem coquat ex *Boer. decis.* 125. *Surd. cons.* 127. *vol.* 1. *Rol. Valle vol.* 3. *cons.* 52. *n.* 31. *& seqq* & in terminis *Carpzov. p.* 1. *constit.* 4. *def.* 9. *n.* 1. Quod nihilominus jus adversus incolas posse caupones 30. annorum spatio præscribere, dummodo bonam ii vendant cerevisiam, etsi cives post inhibitionem per tantum spatium acquieverint *Id. Bude* defensat exemplificans in vino, si caupones bonum & non aqua alteratum venderent. Narrat quoque in oppido Saxoniæ nonnullo, inter magistratum & cives ortam fuisse litem ex eo, quia magistratus civibus maxime diversoria habentibus interdicebat, idemque hospitio advenas recipientibus ne dolia integra cerevisiæ in eadem urbe & ab aliis concivibus coctæ emerent, & ad se venientibus hospitibus venderent, sed minuatim potius è cerevisiaria publica cella afferri curarent: quâ controversia longe tamen dissitâ, cives tandem in possessione perstiterunt. Hinc non mirum si Saxones in ea potanda immodestiss. sint, ad Taurorum ingurgitantes modum absque ulla prorsus sobrietatis lege: Hospi-

tem

tem quoque adeo poculis cuncti excipiunt, ut inimicus arbitretur qui sæpius invitatus, causâ non prætentâ recuset compotare; Nec raro cæde multoque sanguine imaginarium hoc dedecus expiarunt, quod tradit *Boem. in morib. & Legib. omnium gent. lib. 3. cap. 13. Carpzov. tamen lib. 1. resp. 66. n. 2.* universaliter monet nequaquam posse magistratum civibus alio & extra territorium potandi causâ secedentibus pœnam imponere, cum cuilibet sit licitum ire quo velit ibidemque potare, ubi ipse majorem forte recreationem & commoditatem percipit, quod statuto vitari non potest, cum pœnale extra territorium statuentis subditum non liget *cap. 2. de constit. in 6.* cessatque fraus ex actuum facultativorum, ludendi scilicet ac potandi honestate; & ex accidenti fieri potest, quod dolia in cauponaria cella non ebibantur, idemque ex eadem causa aptari posset ad vinum.

Rursus privilegio fultus de non vendendo intra milliare cerevisiam extraneam, non potest extensionem prohibitionis, ne alius cauponam vinariam instituat, vel vinum vendat prætendere, cujus rei quæstio à Senatu Freibergensi anno 1647. mota fuit; Cum statuti ac privilegii verba stricte interpretanda, nec quando maxime periculum vergit de damno ac præjudicio tertii, de casu ad casum extendenda sint. Ita resolvunt *Din. in cap. quæ à jure de reg. jur. in 6. Carpzov.* qui late discurrit, *p. 2. decis.* 103. *n.* 13. & junctâ senatus Lipsiensis decisione *præfat. Bude p.* 4. *cap.* 1. *n.* 10.

CAPUT III.

Caupo quis sit. Ejus ac mulierum cauponariam exercentium ministerium impurum ac fraudulentum.

SI obſcurum eſt, ut probavimus, cauponarium exercitium, affulgere profectò non poterit caupo ipſe qui circa illud verſatur, quemadmodum ſtatim demonſtraturi ſumus.

Vox *caupo* à cupiş fortaſſe derivata, ſeu vaſis vinariis, quæ Italice dicuntur *coppe* ex quibus *coppiere*, ut putat *Lal. Biſciola hor. ſubſec. to. 2. lib. 10. cap. 10.* ubi plura de miniſterio hoc ſordidiſſimo. Vel à rerum copia quas vendunt, eſculentorum ſcilicet poculentorumque, quas cauponarum merces *Apuleius lib. 1.* vocat, & *Flacc. 2. ſat.*

Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

nomenque generale comprahendens etiam mercatores & inſtitores. *Plaut. in Aulul. act. 3. ſc. 1.* ubi Megadorus inquit:

Caupones patagiarii, induſiarii
Flammearii, violarii, carinarii &c.

id eſt mercatores patagiorum induſiorum, flammeorum, violacei panni & cerini, ut ibi notat *Taubmann.* & ſequitur *Voſſius in etymol.* At propriori ſignificatione caupones vocari, qui ſe ad venditionem emptionemque in foro conſtituunt, mercatores vero qui ad alias migrant urbes dixit *P. Chryſ. Iavell. epitom. in polit. Platon. tract. 1. cap. 2.* Seu ad differentiam Hoſpitis, qui notum, familiarem, vel amicum excipit, Caupo eſt qui omnes, notos juxta ac ignotos. Hinc Seneca: *Nemo ſe ſtabulorum hoſpitem judicat.*

Plura

Plura *Io. Woverius* ad illa Arbitri: *nec quo loco stabulum esset sciebam.* Appellatur etiam *Diversitor*, quod *Id. Petron. Arbiter* suadet ibi: *Dum hæc fabula inter amantes luditur, Diversitor cum parte cœnulæ intervenit, contemplatusque, &c.*

Peculiaris olim eorum vestis ex *Dio. Chrysost.* qui *orat.* 72. sic habet: *Caupones sanè, quos homines semper vident ante cauponas, succinctos non derident, sed è diverso deriderent, si non ita culti essent, quòd ille habitus peculiaris sit illi quæstui quem exercent.* Antheristitilis apud *Plaut. in Pœnulo act.* 5 *sc.* 4.

Quis hic homo est cum tunicis longis, quasi puer cauponius? Et virga seu arundine à cæteris distincti, ut ex *Petron.* colligitur ibi: *At non servus publicus tam languidè agit, sed raptam cauponi arundinem subter lectum mittit, omniaque etiam foramina parietum scrutatur.* Id namque velut insignem notam familiæ præfecti gerebant, ut notat *Gonsal. de Salas comment. ad eund.* Et deducitur ex *Amian. Marcell. lib.* 14. *cap.* 17 dum sequioris ævi corruptos mores perstringit: *Vtq; præliorum periti rectores, primò catervas densas opponunt & fortes, deinde leves armaturas, post jaculatores ultimasque subsidiales acies, si sors adegerit, invasuras: Ita Præpositis urbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicitè, quos insignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut tesserâ data castrensi, &c.* Quod factum puto, ne audacter sese in virorum honestorum societatem immiscerent.

Infamis cauponis ars, cùm negociationis accessione lenocinium exercere præsumatur per *tex. in l. Athletas* §. *ait prætor ff. de his qui not. infa.* Eorumque filios vel proximos descendentes ad sacros ordines minimè promovendos sancivit prudentissimè

D.Carol. Borromæus in suis constit. synodal. quanquam Romæ societas quædam Hospitum ac Tabernariorum à Pio IV. fuerit approbata, de qua peculiaris exstat *constit.in Bullar.* Et mulieres in caupona ministrantes præsumuntur meretrices, vel prostituendæ *l.si.si manci.ita vene.ne prostit.in C. Vlpian. in l. palàm & l. 43. §. si qua cauponam exercens, de ritu nupt. Tholos.syntag.p.2.lib.10.cap.2. n.8.*. ad quod facetiæ illæ aptari possent, quas *Aeneas Sylv. in epithaph. pag. 23.* retulit de hospita, quam cùm hospes ita allocutus esset:

Quæ nulli aut paucis carnem corpusque negasti,
Cur sine carne mihi sordida jura dabas?

Respondebat illa:

Venisses solus, patuissent limina nostra,
At tibi turba comes, nil sine turpe canit.
Nonne vides oculus ut nobis sufficit unus
Contenta est una sic mea pera viro.

Ideoque habiles ad testimonium ferendum minimè sunt ex *Capyc. Latro dec.163.n.33. tom. 2.* si tamen veluti famulatrices assistant, non autem si dominæ tabernam per alias exerceant, ut explicat *Bude in tract de Braxandi jure p.1. cap.2. n. 12. ad tex. in l.humilem C.de incast. nupt. & l. quæ adulterium C. ad l.Iul.de adult.* Memorat *D.August. de Civit.lib.18. cap. 18.* mulieres quasdam cauponarias, quæ magica quadam arte homines in belluas transformabant. Et *Socrat.lib.5.cap.18.* quem *Card. Baron.* sequitur *ad annum Christi 389.* refert Cæsarem Theodosium à variis inhonestis criminibus urbem expurgavisse, & ab eo præcipuè, quo advenæ ac peregrini infœlicissimi à quodam instrumento in cauponis rapiebantur, & ad molendinorum opus deducebantur,

quod

quod miles veteranus animadvertit, plurimisque nefariis occisis fugam arripiens. Callidi enim sunt exteros invitando, quemadmodum in civitate orientis Idume nobilem Damasippum descendisse in popinas prope portas, statimque ab unguentariis blandè salutatum atque exceptum *Iuvenal.* testatur *Sat.* 8. ibi:

Sed cùm pervigiles placet instaurare popinas:
Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumeæ Syrophœnix incola portæ
Hospitis affectu dominum, Regemque salutat
Et cum venali Cyane succincta lagena.

Et Stasimus servus apud *Plaut. in Trinummo act.* 2. *sc.* 4. *hospitium* recitat *calamitatis*, in quo multa mala inveniebantur. Saltèm æstiva semper ibi abundant animalia, hoc est pulices, & quæ capillus maximè cælat, ut scribunt *Aristot. lib.* 4. *histor. cap.* 10. & *Plin. lib.* 9. *cap.* 47. Ideoque cautissimi in omnium observatione deberent esse miseri viatores, ne tam impiè deciperentur. De hujusmodi immunditia Petron. in Satyr. *Ipsos cimices ore tangebat.* Et alibi: facete *Martialis lib.* 12. *epig.* 33.

Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus

Et 57.

Et Teges, & Cimex, & nudi sponda Grabati.

De præsumptione verò Lenocinii videtur indubium, maximè in urbe, per quam (in ignominiæ notam) pluries ducti fuêre asinum equitantes.

Quod autem pejus est fraudis præsumptio militat semper adversus ipsos. Platonis locus 2. *leg.* hanc fraudulentam assuetudinem testatur dum *sic* inquit, *ubi multa longaq́; viæ ducunt in desertis locis, cauponandi gratia domos ædificant: oblato diversorio tempestate*

ſtate pulſos ſuſcipiunt,& caloribus preſſos recreant. Verùm deinde non tanquam amicos hoſpitalibus muneribus donatos remittunt, ſed ut inimicos atque captivos ſe redimere crudeliter cogunt, rebusque omnibus ſpoliant. Quæ cæteraq; huiusmodi in his omnibus turpiter acta faciunt, ut ſtudia hæc, quæ indigentibus opem ferunt, calumniæ ſint ſubjecta. Et de lucri ſectandi ſtudio in iis, ut ſuperlucrentur emendo exſtat illud Ennii dictum ad Romanos apud *M. Tull. 1. offic. Non cauponantes bellum, ſed belligerantes. Cauponum inſtar res Divinas quæſtui habere, id eſt quaſi rem puram aquæ admiſcere* explicat *D. Iſidor. Peluſiota epiſt. 125. qui epiſt. 326.* exemplum eorum cauponum affert, qui iniquam omnem & ſceleratam quæſtus faciendi rationem induunt. Sic *Dio. Chryſoſt.* cum Rhodienſibus loquebatur *in eius orat. 31. Caupones qui in menſuris doloſè agunt, quibusque inde victus quæritur ob turpe lucrum, odio proſequimini & punitis*; & deinde factum his verbis commendat: *Neq; cum cauponibus quisquam facilè ampliùs commerciũ habet, apud quos malæ ſunt menſuræ.* Eorum rapacitatem nimiùm crudelem & impiam, cùm excedant metas in exigendo, fallaciam exprobans dixit *Bald. in l. 1. n. 2. ff. loca.* Et ſecundùm *Angel. in l. 1. §. caupo autem ff. furti adverſ. naut.* pauci hoſpitantes reperiuntur divites, quorum divitiæ durent, quia in mendaciis non juſtificabuntur. *Hodie* ait *Petrus Rebuff. ad auth. habita C. ne fil. pro patre pag. 703. ſtatim efficiuntur divites, jure vel iniuria neſcio, Deus ſcit* ſequuntur ſententiam *Pirr. in conſuet. Aurelian. tit. de execut. ex locato cap. 7. & Marius Muta in capit. Regni Sicil. tom. 2. cap 38. n. 5. & 6.* Ideo ſemper de illis lex malè præſumit, cùm ſub rubrica trium latronum comprehendantur ex *l. 3. §. ex hoc edicto ff. naut. caup.*

ſtab.

stab. advertit *Straca de navi.p.5.vers. quæri potest*, & *Magon. decis. Florent.* 25. Horatius nunquam eorum meminit, quin continuò adjiciat, cujus perfidiæ esse soleant; sic enim *Satyr.* 1. *lib.* 1.

Perfidus hic caupo

Et Sat. 5. *eod.*

——— *cauponibus atque malignis.*

Plato *lib.* 11. *leg.* avaritiam ac vilitatem describit. *Gregor. Nazianz. ad Basil.* brevi lutum urbium ac flagitium eos vocat, de quibus fusè *Cujac. lib.* 27. *cap.* 31. *Farinacc. prax. crimin. lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 36. *n.* 160. *Grat. discept. for. cap.* 898. *n.* 23. *Aegid. Hunn. in catechef. de* 7. *præcept. p.* 2. *pag.* 221. *Freundeberg. in tract. de rescript. morator. conclus.* 43. *in fin. Stuch. antiq. conviv. lib.* 1. *cap.* 28. & *Garzon. in piazza universale.* Nonnulli autem vinum spurcant, seu ut docet Festus, aqua vitiant juxta illud Poetæ:

——— *Magnis rapiunt clangoribus aurum*
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant.

Euripides: *Non prædicabile genus* in Helen. semper enim studiosè decipiunt, vinum & nectariten aqua depravando, seu lympha subtenuando, & infuscando, quasi ut *Iuvenal. Sat.* 3. dixit

Nemo cibo, nemo hospitio tectoque juvetur.

Et *Ovid.* 1. *Metam. ibi:*

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus

quia etiam edulia intolerabili pretio apponunt, & per amicitiæ speciem justo majora à convivis symbola exigunt ut lucrum faciant, referente *Maiolo dier. canic. tom.* 2. *colloq.* 5. *pag.* 310.

Hinc est, quod ex præscriptis Parisiensium moribus *artic.* 28. nulla cauponibus actio data sit, sed sola retentio rerum quas intulerint peregrini hospites,

vel equorum quos adduxerint, ut nos fusius *in seq.* ex cujus Curiæ decretis *lib.6.tit.*17.*cap.6.* à Joanne Lutio ingenue productis memoria extat, vehicularii, qui eximium cujusdam Senatoris vinum aqua vitiaverat, virgis per compita urbis cæsi, æreque insuper mulctati, interminatione adjecta laquei adversus Rhedarios cunctos, qui tale quicquam postea auderent, decreto Senatus per compita, portus & fora curialis ditionis promulgato, anno 1550, 4. Id. Februarii. Et *Anton. Mornac. annot. in digest. lib.9. tit. 2. ad l. Aquil.* §. *cum qui vinum* adjungit hodie cum Appianum Frontinianumve ex oris Tectosagum Lutetiam advehitur, cannabe & alto stramine convestiuntur; colliganturque dolia ut illibatum sit ab ejusmodi temerariis bibonibus pretiosum merum: quod utinam fieret in Italia, ne vitiare tam frequēter auderent Politianum; Albanum, & similia suavissima falerna: quæ depravatio gravissime in Imperii recessibus interdicta est, ut colligere licet ex *Petro Denais. in jure Camer. tit. de commerc.* 77. *n.* 4. & aliis apud *Freundeberg in tract. de rescript. moratori. tit.* 10. *conclus.* 68. *tit.* 5. *&* *v.* 5. quanquam extra Italiæ limites (quod referre erubesco) non sint adeo immundi ac vitiosi quemadmodum ibi universaliter caupones; quos in individuo *Plutarch.* objurgat 2. *probl. sympos.* 19.

CAPUT IV.

Cauponum fraudibus qualiter obviandum.

MOrbo indicato ad pharmacum deveniendum praxis communis docet: fraudibus idcirco detectis

tectis cauponum, debemus quoque juris remedia afferre.

Primo igitur loco taxa à judice sancienda, cùm in cauponum arbitrio non sit pro hospitii mercede ab hospitantibus quantum voluerint extorquere, docente *Avendano in tract. de exeq. mandat. Reg. Hispaniæ p. 2. cap. 8. n. 3.* Quia publici status convenit indemnitati, ut victualium habeatur taxatio, prout *DD. tradunt in l. 1. C. de Episcop. aud.* quorum nomine & habitatio comprehenditur *l. verbo victus ff. de verb. signif. & arg. l. 1. §. cura carnis ff. de offic. Praef. urb. ubi Iacob. de Ravenn. & Alberic.* qui de Bononiensi & Romana praxi testatur & notant *Straccha in tract. de mercatur. in 4. p. ad fin. n. 51. & Ludov. Mesias in laconismo pro pragmat. panis conclus. 4. n. 14.* Et generaliter per Senatum taxari nimios sumptus itinerantium dixit *Fontanel. decis. cathal. 535. n. 21. & 24.* & per Judicem *Mastrill. de Magistrat. lib. 3. cap. 10. n. 218.*

Regula autem viget quod Hospitatores victualia emere ut viatoribus carius vendant non possunt, de qua scribunt *Abb. in c. 1. ne cler. vel mon. n. 6. & DD. in c. 1. cap. canonum cap. quicumque tempore messis cap. ejiciens 12. q. 4. & cap. quoniam 88. dist.* & *Bald. in l. non dubium C. de legi. col. 4. n. 10. vers. fit fraus,* pœnam memorat hospitis vinum vendentis, vel alia victualia in fraudem statuti, quem videre potes.

Praxis inde orta est in Hispania de *Aranzel* ut vocant, taxæ scilicet, cujus transgressores tanquam de violato præcepto puniendi sunt ad *tex. in cap. 1. §. post natale de pace tenend. & ejus viol. l. annonam ff. de extraord. crim. & l 2. & fi. ff. ad l. Iul. de anno.* ubi DD. notant annonæ taxationem fraudantes puniendos esse, & pœnam, juxta qualitatem & enormitatem

delicti,

delicti, augere. In Regno Sueciæ caupones capere duas vel tres mensuras debent jure publico signatas ad vinum vendendum, aquam mulsam, cerevisiam aliosque potus, quibus cæteri urcei conformes esse debent, aliàs falsi pœna damnabitur eorum quisque, ut *ex legib. civil. tit. 6. cap.* 28. Et apud Turcas mercimonia ultra taxatum pretium vendentibus, tabula una cum pluribus tintinnabulis illorum pectoribus appenditur, & postquam sic hinc inde per totam civitatem super asinum trahuntur, ex eo ad suarum ædium limina descensos, ministri justitiæ eorum nates viginti pali cujusdam ictibus percutiunt, & pro quolibet ictu ministris iisdem unum persolvunt asprum, ut *Vincent. Roca in sua Turcar. historia lib. 3. cap. 9.* refert. Quod si victualium Domini ut pœnam evadant, viatoribus recusent vendere, possunt ea coram duobus, pretio soluto, accipi; quo casu alteratio pretii cessabit juxta *l.* pœnalem hispanicam apud *Aviles in capitib. prætor. cap.* 28. *n.* 4. Moderni fortasse plura à Divino Platone didicerunt, is enim *lib. leg.* 2. ait: *Peregrini dumtaxat & advenæ cauponarias artes sequantur, iique sint optimi, aut quam minimè mali. Impendio & emolumento examinato, quod mediocre cauponi lucrum sit, videant legum custodes, & tam impendium quam emolumentum conscribant. Observentur autem alia ab ædilibus, alia ab agri magistratibus, alia à rerum venalium magistratibus.*

Ut tamen bonæ fidei caupo tutus quoque sit in suo mercimonio, regula statuitur adversus viatorem, ut justa victualium sibi pretia solvantur, alias ea denegare poterit. Sic *Angel.* consuluit *in l. venditor § si constat ff. commu. prædior.* Ipsisque ut abundantia alimentorum suppetat, permittitur emptio ut dici-

dicitur *in grosso* ut minutatim vendere queant, ex *ejusd. Angeli* doctrina *in l. annonam ff. de extraord. crim.*

CAPUT V.

Ad quid Caupo teneatur exactè diffinitur.

OPortebat haud dubie prævenire nonnullo juris remedio cauponum fraudes præcipuas, ne passivi hospites propriis eas sumptibus infeliciter mercarentur: quo acto in cap. præcedenti, cuncta hic quæ ad eorum faciunt munus enucleare studebim⁹.

Cauponandi hoc ministerium, quod tam in hospitibus recipiendis, quàm in esculentis potulentisque vendendis versari diximus, à quolibet exerceri posse, quanquam publicum sibi diversorium non sit, docuerunt *Bald in cons. 463. n. 5. vol. 4. Schneiduvin ad §. flumina instit. de rer. divis. n. 14. & Berlich. p. 1. dec. 5. per tot.* dummodo tamen alter ex privilegio vel præscriptione, quod solus hoc jure utatur, minimè acquisiverit ex *Berlich. ibid.* ubi Scabinorum Lipsiẽsium in terminis terminantibus præjudicium refert. Quare *Bald. cons. 129. vol. 2* sic inquit: quod situ habes hospitium ex quo multa lucraris, & ego juxta te aliud hospitium facio; licet pauciores homines ad tuum hospitium veniant, non tamen jus habes prohibendi ne ego hospites recipiam, nisi hoc haberes ex pacto mecum, vel ex privilegio aut consuetudine præscriptum.

Sed prædicta intelligenda sunt in locis consuetis, quia non ubilibet regulariter posse cauponas erigi, cùm jus istud ad regalia pertineat, dixit *Treutl. Tabor. in differt. de Iur. Cerevis. cap. 2. §. 4.* Exemplifica-

tur autem tum in molendino, quod noviter hodie absque speciali concessione construere non licet ex *Modest. Pistor. Koppen & Carpzov. p. 2. const. 4 def. 10. n. 2* Tum in jure pascendi, quod quis ex uno ovili pluribus in locis habens, novum extruere non potest, ubi ante non fuerit. Sic advertunt *Coler. dec. 218. & Berlich. p. 2. conclus. 49. n. 11.* Similiter neque ad libitum transferri valent in alium locum cauponæ, ex quo jus cauponandi reale sit certoque inhærens loco à quo separari non potest *ex Bude in tract. de Braxandi jure p. 4. cap. 2.* Ego verò distinguerem, hoc procedere in cauponis rusticis quæ in viis prostant publicis extra urbes, secus autem in urbanis. At semper ad peculiaria respiciendum statuta. Nemini tamen libertatem hujusmodi de cauponæ exercitio concedendam, nisi præter annuum tributum aliqua etiam summula pro impetrato illo jure pendatur, monuit *Martin. Schoockius in tract. de seditionib. seu domestic. discord. lib. 3. cap. 12.* cùm publicum ex cauponis & diversoriis ærarium commode valeat ditari, quemadmodum ex sphæristeriis, balneis ludisque gladiatoriis, quæ omnia si magistratus per alios exerceat, nullo fremente, grandem pecuniæ vim coget. Quæ semper cum moderatione intelligenda puto, ut præjudicia ex nimiis pensionibus ab hospitibus evitentur.

Eorum leges breviter explicat ex priscis *Cassiodor. lib. 11. ep. 12.* ibi: *recipiatur hospes ad pretia definita, iniquitatem non patiatur avaram, qua invitatur ad gratiam. Quoniam turpis aucupatio est, terrere enormitate pretii, & susceptione blandiri.* Et ex recentioribus *Chrys. Iavell. in philosoph. Christian. 6. p. tract. un. de oper. verè christian. cap. 5. in 2. oper. vol.* iis verbis: *Hospitariorum*

rum regula hæc est: Malos in hospitio suo scienter non recipiant, nec stare permittant, ne noceant bonis. Contra hospites suos injurias non exerceãt, nec in re, nec in persona, nec in fama : non patiantur hospites in domo sua fornicari & adulterari. Venalia non falsificent. Iustã & rationabilem computationẽ faciant, non gravantes nec extorquentes pecuniam ab hospitibus suis. Ludos prohibitos & deceptorios non permittant, sed multo minus Dei blasphemias & inhonorationes. Sequentes verò nos iis annectimus. Caupo hospitum conspectu & colloquiis filias prohibeat, affigat tabellam, in qua festorum ratio explanetur, omnibus exemplo sit. Oratorium habeat, vel saltem in loco peculiari sacram imaginem cum vasculo aquæ benedictæ & lampade precum sacrarum tempore ardente. Sic in singulis cubiculis imaginem Crucifixi vel B. V. obscœna deleantur, sic turpes avertat libros. Nullum cubiculum lenonibus, meretricibus, præstigiatoribus, circulatoribus & cingaris locet. Caveat ne in sua domo vagas mulieres & cantatrices inducat. Viris & mulieribus, nisi conjuges sint, distincta assignet cubicula. Aleas & cæteros ludos, exceptis iis qui honestatis gratia tolerantur, non accomodet. Pauperes, peregrinos, Sacerdotes & egentes commendatos habeat. In vigiliis edicta ecclesiastica observet, ita ut distinctas habeant mensas ii, qui licentiam prohibitorum ciborum obtinuerint. Ad mensam cum benedictione accessum commendet, recessum verò cum gratiarum actione. Quæ omnia longius expendit *Eminentiss. Cardinal. Palæotus in suo Archiepiscop. Bononiensi p. 6. fol. 467.*

D. Carol. Borromæus morum censor sagacissimus *in suis constit. Synod.* caupones voluit quadragesi-

mæ tempore cibos vetitos non vendere, hoſpitibus non exhibere, nec in hoſpitio comedi permittere, alias puniri. Orationem veſpertinam inſtituere: in cauponæ veſtibulo, & in ſingulis cubiculis ſacram imaginem apponere, obſcœnasque auferre. Meretrices ac ſimiles reprobas perſonas quàm itineris gratia pernoctare haud permittere, clericosque ac religioſos in loco à cæteris diſtincto accomodare. Verùm quo ad cibos aliquo tempore vetitos probabilior DD. ſententia eſt cauponem non peccare, ſi eos tantùm hoſpitibus offerat, cùm ille munus proprium exequatur, hi verò conſcientia regulentur. Ita plures apud *Sanchez lib. 1. ſumma cap. 7. à nu. 13. & conſil. moral. lib. 5. cap. 1. dub. 16.* & *Diana in ſumma v. jejunium nu. 41.*

Olim occaſione forſan ubertatis valde moderati erant ſumptus in Italia, ut *Polyb. lib. hiſtor. 2.* teſtatur dum inquit: *Caupones Itali plerumque accipiunt viatores atque hoſpites non pluris ſemiſſe ſive dimidio aſſario, ſic tamen ut hi, quantum ſibi ſatis eſt habeant. Eſt autem ſemis ſive ſemiſſarius quarta pars oboli: ac raro uſuvenit, ut hoc pretium excedant* quam monetæ ſpeciem explicat *Hotoman. de Re Numaria pop. Rom. fol. 20.* Quæ expenſæ unico vocabulo dictæ ſunt ævo poſteriori *Parata*, vel ſcilicet cibi potusque præſtantiores quæ hoſpiti ab hoſpite fiunt, quibuſdam paſtus & repaſtus: vel ipſæ res quæ in ſuſcipiendis hoſpitibus expenduntur, expenſæ ſcilicet hoſpitationis, videlicet cibus, potus, focus & ſimilia ab Anglis *liberatio* appellata, *Henr. Spelmanno* teſte *in ſuo gloſſar.*

Dicunt autem DD. quod caupo, qui ſemel hoſpitium tenuit, eſt compellendus ad continuandum. Ita *Fontanell, dec. 535, n. 25.* per hoſpitum receptionem,

nem. *Dec. in l. invitus nemo in princ. ff. de reg. jur. l. 1. & ibi Bart. in § maxima ff. naut. caup. stabul. l. 1. §. cura carnis n. 1. ff. de offic. praef. urb. & in l. un. §. servi. n. 3. vers. non enim quis cogitur ff. furti adversus naut. caup.* ubi declarat non tamen teneri ante & *Io. Ma. & Iacob. de Rimi-nald. cons. 626. n. 3.* Etiam invitus, dummodo merces intercedat ex *Alciat. in l. pronunciatio n. 35. vers. caupones de verb. signif.* Et nocturno tempore si sit nox tempestiva, immo tota nocte si ad cauponas officiales cum iis accedant. *Riga in tract. de nocturno tempore cap. 132. n. 4.* quod in Sueciæ Regno non procedere, ubi post signum campanæ vesperi datum diversorium publicum præbens prohibetur diutius candelam ardentem vel ignem habere, aut cerevisiam aliumque potum vendere, docent ejusdem *Regni leges civiles tit. 5. cap. 22.* Et præcipuo honore semper afficere debent Legatos, virosque illustres.

Respiciendum autem semper est utrum signa hospitii apposuerint, quo casu omnes recipere tenentur, quia cum peregrinis videntur contraxisse. Fuse *Rebuff. commentar. in constit. Regias tract de hospitib. n. 1. Carocc. de loca. & conduc. gradu 2. q. 8. n. 18. pag. 152.* & *Ricciull. de person. quæ in statu reprobo versant. cap. 31* ubi illos inquit se habere ad instar meretricum, quæ in sententia nonnullorum ad fornicandum cogi possunt arg. *l. 17. §. sicut autem ff. commod.* (quanquam id mihi haud arrideat) maximè si res non sit amplius integra, ut scilicet hospites receperint, quo casu eos repellere non valent, ut DD. interpretantur *in l. un §. ult. ff furti advers. Naut.* Et de hujusmodi praxi in Saxoniæ dominio *Herbel. in disputat. inaugur. de libertat. natural. restrict. th. 57.* Nisi tamen de æquitate propter nimiam hospitum multitudinem

excusatio admitteretur, exemplo notariorum, ut *nov. 4. c. nos autem credimus §. & not. Io. Coppen in observ. practic. lib. 2. observ. 87. n. 7.* cui casui est optime in Regno Sueciæ provisum, ut scilicet si plures viatores ad diversorium veniant, quam illud capere possit, illos ad proximum pagum director remittat, ut pro capacitate eos recipiat *leg. civ. cap. 25. tit. 1.* Et si hospites ipsi, vel eorum servi equive contagioso laborent morbo. *Herbel. ubi supra ex Rebuffo.*

Et ampliatur præfata conclusio, ut etiam occisores ex natura officii teneatur caupo recipere, quo casu solvitur quacumque præsumpta mandati aut participationis conjecturâ, cùm potius censeatur eos ex officio cauponæ quam ex sceleris participatione admittere, quod explicat *Ripa de noctur. temp. d. cap. 132. n. 28.* Sic quoque excusabitur si bannitos & maleficos transeuntes suscipiat ac solutâ mercede alimentis foveat *Bart. in l. omnes la. 2. vers. & hoc est utile C. de agri. & cens. lib. 11. & in l. 1. C. de colo. ille. eod. lib. & in l. Seia §. idem quæsiit ff. de fund. instruct.* & post multos *Menoch. de arbit. casu 348.* ex eo quia non teneantur conditionem hospitatorum inquirere. Additque *Andr. de Isern. in constit. omnes nostri regiminis* stabularium ad hospitandum non cogi, neque lanionem ad vendendas carnes nisi essent constituti à publico, tunc enim si denegarent, injuriarum actione tenerentur: & occultus casus plurimum excusationis adfert. Pœna vero an & quando evadenda sit, arbitrio judicis remittendum dicit *Borell. in tract de Magistratuum edictis lib. 3. cap. 5. n. 19.* qui alibi quoscumque excipi affirmat, alibi latrones & participes, contra quos si dolus committatur, est severe vindicandum. Et vide *Ludov. Carerium in tract. de Hæreti-*

reticis n. 168. qui est inter tract. crimin. divers. impress. Francofurti vol. 2. Est autem certum, quod hæreticos scienter recipientes, à fautoria minimè excusantur, & per consequens puniendi. *Farinacc. de hæresi q. 182. n. 162.* & latius *in praxi crim. q. 133. à n. 42. Galiard. de delict. ment. & actual. lib. 1. n. 4. egregie Fermosin. crimin. tract. ad tex. in cap. sicut 8. q. 4. n. 14.* Non tamen pœnam incurrit maximè quoad forum internum, qui per accidens eodem lecto cum excommunicato in caupona usus fuerit, uti affirmant *Suarez to. 5. disp. 15. sect. 2 n. 7.* & *Velasco de privil. miserab. person. q. 15. n. 50. p. 2.* cùm id, non per societatis communionisque modum fiat ut prohibitio, quæ citra familiaritatem fieri nequit, locum habeat per ea quæ tradunt *Innoc. in cap. nuper n. 4. de sent. excomm.* & *Abb. in cap. si verò n. 10. eod.*

Verùm cùm soleant in cauponis occasione ludi, ut plurimùm vel ebrietatis, rixæ oriri, tam caupones, quàm chirurgi vulnera & pugnas nuntiare, seu deferre debent, aliàs Abigeorum pœna tenentur ex statuto civitatis Ultrajectinæ *rubr. 32. §. ult.* de quo *Anton. Matthæus in tract. de criminib. lib. 47. Dig. tit. 8. cap. 2. n. fin.* quod & in Urbe observatum vidi. Alicubi tamen ipsismet cauponibus, ac tabernæ est providè consultum, ut in Regno Sueciæ ubi inferenti vim tabernario, Sacerdoti vel rustico hospitato, vel quid eis surripienti, si in facinore depræhendatur, vel plenis convincatur documentis, Rex si tam prope adsit, vitam gladio auferet. Rursus si vis hospitibus fiat, vel alicui de familia, dum in recenti depræhendantur actu, vita pro vita reddatur: pro vulnere, livore, & sanguinis nota, quæ tamen non sint lethifera, auctori manus amputetur. Idque *ex*

legib. Regni tit. 1.*cap.* 26. *& seq.* ob incolumitatem personæ ac loci, etiam jure mercennario.

Improbum profectò hoc hominum cauponam exercentium genus ut inquit *I.C.in l. quanta ff. de publi.* ad similitudinem usurarii tenetur edere licèt sit reus, quod notat *Bald.in l. dissoluta ff. de condict. ex lege.* Tenetur quoque de levissima culpa, cùm communiter eorum quisque diligentissimum sese jactet, post *Bonacin.* 3.*de contract.q.*1.*pun.*6.*n.*19. *& Io. Aegid. Trullench.*7. *Decalogi cap.* 25. *dub.* 1. *sub n.* 6. *Escobar in tract. de utroque foro art.* 3. *à num.* 168. *ad* 175. ubi in foro conscientiæ id remittendum ait arbitrio confessarii, qui negotii circumstantiis, & personarum qualitatibus perpensis se dirigat. Et quandoque ad damnum in caupona datum, resarciendum teneri ostendit *Harprecht ad* §. *ult. instit. de oblig. ex quasi del.n.*5.6.*&* 7. si tamen dolus vel culpa probetur. Sic de culpa luet ac negligentia familiæ. *Magon.decis.Flor.* 111. si ea nonnihil furata fuerit. *Christina decis.Belgic.vol.*3.*dec.*89.*n.*8. cùm contra illos militet præsumptio ex *Monach.decis. Lucen.* 5.*n.*.6.*& dec. Bonon.*44, 45. *&* 46. *per tot.* furacissimum namque eorum genus dixit *Clar.in* §.*furtum in fin.* Unde iis famulis occurrendum juxta *l. in fundo ff. de rei vindic.& in l.cum* 2.§. *sed eum lis: ff.de transact.* *Iacob.de Riminald.monuit conf.*391.*n.*26. qui ait eos capi & torqueri posse ex *Bart.* doctrina in *l.fin. ff. furti advers. naut.* Et semper teneri excepto casu fortuito *ad tex.in l.* 3. §. *prætor ait vers. inde Labeo ff. naut. caup. stabul.* dixit *Ciazzius discept. crimin.* 25. *n.* 136. *& plurib.seqq.* qui restringit obligationem ad se, & ad suam familiam, cùm non teneatur de furto ab alio etiam ibi servitium præstante, si ex suis

non

non sit: quanquam nonnulli astruant teneri etiam de culpa & negligentia, quæ extrinsecè damnum causavit, si V. C. cratem ferream non fecit, unde fures per fenestram intraverint, in quam sententiam ivit *Bart. in l. domin. horreorum ff. loca*, quo casu bonis furto subtractis æstimatis, agi posse etiam adversus vicinos juxta *l. 1. 2. & 3. ff. quo quisque ord. conv. lib 11. & in l. 2. §. qui in princ. C. de conven. fisci deb. lib. 11.* consuluit *Riminald. loc. cit.* Imò *Alciat. in l. pacta novissima prope fin. C. de pact.* extendit etiam si vectoribus caupones prædixerint, ut res suas custodiant, non enim se damnum præstituros, nihilominus teneri nisi expresse vectores protestationi consenserint *l. fin. §. item si ff. naut. caup. stabul.* quia tacendo sibi præjudicare non præsumitur *l. sicut §. non videtur ff. quib, mod pign.* & protestatio sequentis actus derogatoria quando pars quæ lædi poterat, non consenserit, minimè prodest, ne furandi occasio toleretur.

Cautela verò pro viatoribus ut salvas habeant res suas, est eas in depositum tradere cauponi coram testibus, quia tunc in custodia eas recipiendo videtur ad damnum teneri ob tacitam de diligentia promissionem. Ita *Moditius in suis dubitat. & resolut. dub. 178. §. plebiscitum n. 8. & Linglois decis. Iustinian. 23. q. 6. n. 2. & dec. 27. q. 2. n. 2.* qui salvam reddere teneri ait valisiam, tam si celatam, quàm si apertam receperit. Latè *Avendan. de exeq. mand. Reg. lib. 2. cap. 8.* eumque compelli actione civili, non autem criminali *Cosmas Guymier in pragmat. sanction. tit. de collat. §. frustrà verbo familiæ fol. 189. ubi latissimè:* sibique in facto dari actionem ad duplum docet *l. unic. ff. furti adversus naut.* quod in Francia non servatur

tur, ubi ad simplum tantùm cum damnis & interesse *Rebuff.* notat *ad constit. Regi. tom. 2. tract. de hospitib. n. 8.* Ad quod facit Pii IV. Summi Pontificis *constit. 71. incip. cùm sicut* favore Albergatorum, ut vocant, Romæ qui non tenentur de furtis bonorum sibi subtractis, si hospites iis non consignarunt. Aliàs invitus recipiens, & absque prævia simili cautione non tenetur de vasilia aperta; seu de fardello disigillato, sufficit enim tunc ipsius juramentum dicentis res sibi fuisse furto sublatas, *Abb. cons. 109. lib. 2 Clar. lib. 5. recept. sentent.* § *furtum n. 27. Bertazz. cons. crim. 377. n. 4. Cevallos in pract. q. comm. contra comm. tom. 1. q. 683. n. 3. & Farin. tit. de indiciis, & tortura q. 37 n. 160. vers. sublimita hanc tertiam.* Quòd si ex improviso caupo admiratus, de furto obstupuit, magnum præstare suæ innocentiæ indicium *Ciazzius* ubi suprà advertit: & Mansuerius Galliæ practicus *tit. de expens.* scribit credi oportere hospiti bonæ integræque existimationis si affirmaverit. Utinam autem similes caupones fide digni apud Italos nostrates invenirentur! Lutetiæ verò Parisiorum hanc esse consuetudinem *Anton. Mornacc.* refert *in observ. ad lib. Digest. 4. tit. 9.* ut scilicet à cœnaculario claves cubiculi tradantur hospiti, in quem propterea omnium rerum quas in cubiculum intulerit, periculum transmittitur. Hæc autem non procedere in hospitalariis gratuitis, & bonæ famæ, uti sunt ecclesiastici, scribit *Frances in tract. de Eccles. cathedral. cap 27. n. 154.*

Limitatur superiùs firmata conclusio, ut caupones de incendio non teneantur ex culpa hospitantium seu divertentium commisso, ut per *tex. in l. 1. §. ult. vers. viatorum autem factum ff. furti adversus*

naut. caup. stabul. dicunt *Card. Tusch. tom. 4. pract. conclus. lit. I. conclus. 61. n. 34. & Berlich. concl. 25. n. 116. p. 4.*

Verùm non minùs tenentur hospitati erga hospitantem quoad debitam consumptorum satisfactionem, quia id requirit mercennarium hospitalitatis jus, cùm publica utilitas exigat, ut ex fide, & citò solutio fiat, ne & gravia damna indè emergant; & ab illo officio caupones desistant, ideoque ipsis jus detentionis & arrestationis competit ad suas recuperandas impensas, ut scribunt *Pyrrhus ad consuet. Aurelian. tit. de exec. & locato cap. 7.* quem citat & sequitur *Giballin. in tract. de univ. rer. human. negotiat. lib. 5. cap. 2. art. 3. n. 16. p. 2. Marqvard. de jur. mercator. & commercior. lib. 2. cap. 10. n. 37. Mevius de arrest. cap. 6. n. 42. Coler. process. execut. p. 1. cap. 2. n. 254. & Bude in tract. de Braxandi jure p. 4. cap. 2. n. 17* qui loquitur in terminis cerevisiæ, pro qua exhausta vult res hospitum retineri usque dum satisfecerint, quanquam in iis nullum jus hypothecæ pro unius vel alterius prandii vel cœnæ pretio hospitii domino competere dixerit *Carpzov. decis. illustr. Saxonic. 66. n. 13.* Quia contraria sententia est verior & communior, ut *Freundeberg* testatur in *tract. de rescript. morator. concl. 43. n. 26.* ubi hujusmodi solutiones moratoriis non retardandas inquit, adventoresque donec solvant, in rebus & personis detinendos, quam sententiam amplexi sunt *Grat. discept. 25. n. 19. & seqq. Pechius de arrest. cap. 3. n. 2. Moller semestr. lib 1. cap. 30 & Grate de privata auctorit. class. 2. cap. 20. n. 13. & 14.* In terminis verò expensarum infirmo factarum, tam si convaluerit, quàm si mortuus fuerit, posse bestias, aliaque hospitum bona retineri

rifirmant *Io. Petr. Molign. de jure retent. q.* 205. *per tot.Berlich.concluſ* 73.*n.*103.*p*,1. & *Anell. deciſ.Neap. alleg.*2.*n.*15. Quæ concluſio procedit etiam adverſus euntes,& redeuntes à nundinis, mercatis publicis,& à curia, qui quanquam immunes ſint, ne pro civili debito capiantur, & de prædictis quòd his de cauſis ierint aut venierint eorum fides præſtetur juramento, poſſunt ſiſti ab hoſpitii domino donec ſolverint. Ex *Gloſſ.in l.*1. *C. de Nundin. Aymo.in conſuet.Alver.tit.*24.*artic.*62.*n.* 12. Quæ tamen intelligenda arbitror cùm nullo meliori modo creditori cautum fuerit,quemadmodum Hagæ Comitis, ubi in prima inſtantia ad curiam vocari litigatores pro hoſpitii & alimentorum expenſis dicunt *Merula praxis civ. lib.*4. *tit.*2.*cap.*7. *n.* 5. & *Grœneveggen in tract.de legibus abrogatis in Hollandia Cod. lib.*4.*tit.* 35. *num.*5.

Et hoc modo uterque hoſpes, activus ſcilicet ac paſſivus,mercedis habita ratione, juxta emergentes caſus, neceſſaria ad Jus Hoſpitalitatis explebunt.

CONCLVSIO.

Turpia parit exempla Inhoſpitalitas, quæ acerbè (ut par eſt) notatur.

JUre Hoſpitalitatis univerſo abundè ſatis per ſuperiores noſtras meditationes perſtricto, erat efferenda Manus, ut ajunt de tabula, adjuncta ac notatâ quaſi pro coronide, turpiſſima ſemper Inhoſpitalitate.

Hæc

Hæc, juxta M. Tullii sententiam, nil aliud est, quàm opinio vehemens atque inhærens, penitusque insita valde fugiendum esse hospitem, non legi modò Divinæ, verùm ipsi quoque naturæ contraria, & inimica. Potestque, ni fallor, tum in hospitii met denegatione, tum in hospitali jure violato versari juxta communia accidentia, & locorum consuetudines, aît namque *Dio Cassius lib.38. Iam nec honores, neq; ignominiæ apud omnes homines eadem habentur, quinimò quæ apud alios culpantur, eadem alii laudant, & quæ alii honore prosequuntur, ea alii supplicio afficiunt.* Nec levis id infœlicitas reputatur à *Iuven. sat. 3.* ibi:

——— ——— . ——— *ultimus autem*

Aerumnæ cumulus, quod nudum & frustra rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvabit.

Et inter immania crimina adversus Verrem enumeratur *iis Cic. verbis act. vlt. Num te eius lacrymæ, num senectus, num hospitii jus atq; nomen à scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit? sed quid ego hospitii jura in hac tam immani bellua commemoro, qui Sthenium Termitanum hospitem suum, cuius domum per hospitium exhausit, & exinanivit, absentem in reos retulerit, causa indicta capite damnarit, ab eo nunc hospitiorum jura atq; officia quaramus?* Invehit D. *Ambros. 3. offic. cap.7.* hoc modo: *sed & illi qui peregrinos urbe prohibent, nequaquam probandi, expellere eo tempore, quo deberent juvare, separare à commerciis communis parentis, fusos omnibus partus negare inita jam consortia vivendi, avocare cumquibus fuerint communia jura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri? feræ non expellunt feras, & homo excludit hominem.*

Notantur verò hac, sit fas dicere, immanitate Moabitæ primùm & Ammonitæ, qui Israelitis fratribus

tribus cũ pane & aqua occurrere noluerunt *Deut.* 23 2. *Esdræ* 13. deinde Græci quidam à *Dionyſ. Halic. antiq. Rom.* 2. Ægyptii à Philone Judæo *in lib. de Abrahamo.* Ii qui tempore belli civilis certabant, ab *Appiano lib.* 1. Carthaginenſes, Athenienſes, Scythæ, Gamphaſantes, Seres aliique, qui nullo ſe commercio peregrino miſceri ſinunt, & exoſi apud *Alex. ab Alex. lib.* 4. *cap.* 10. atque *Tomaſin. de Teſſer. cap.* 31: & maximè Lacones, ex quibus hoſpitum rejectio dicta fuit *Laconizare.* Hoc modo *Dirinoxeni*, quaſi fallentes hoſpitem, dicti Spartani; & quaſi mutuo quodam malevolentiæ genere ſi quis civis Sparta diſcedens apud exteros moraretur, cùm ne dolos ac verſutias à peregrinis haurirent, peregrinari licitum minimè foret, capite luebat, quod *Plutarchus* refert *in Agide, in Lycurgo, & in apophteg. Laconum.* Sic à Tauris populis Dianæ hoſpites immolatos ſcribit *Origenes contra Celſ. lib.* 5. In heſperiis regionibus quoſdam habitare, ultra Indos, qui hoſpites devorant, advenasque interficientes comedunt *Cæſarius dial.* 2. quod ab Euripidis ſcholiaſte in Hecubam vituperatur dum inquit: *Vobis fortaſſe inſitum barbaris hoſpites cedere; nobis verò Stellinis Græcis impium eſt.* Quorum in numero profectò Buſiris erat ſceleratiſſimus ille, qui omnium gentium hoſpites immolare ſolitus fuit *Gell.* teſte *lib.* 2. *cap.* 6. & *Virg. eclog.* 6. ibi:

Omnia jam vulgata, quis aut Euryſtea durum
Illaudati neſcit Buſiridis aras?

Et Athenienſis Timon ob naturæ aſperitatem cum inhumanus atque inhoſpitalis eſſet, μισάνθρωπος, id eſt, oſor hominum dicebatur, fugiebat namque hominum congreſſus præterquam unius Alcibiadis,

vitam-

vitamque inhumanam sequebatur, de quo peculiaris adest Luciani dialogus. Similesque prædictis Lytierses, de quo occasione Lytiersis cantus, hæc *Theocriti scholiastes* narrat *Idyll.1.Lytierses calenas Phrigia habitabat, Midæ filius nothus; hic cùm esset Agricola, hospitio atque cantu transeuntes excipiebat, atque metere secum cogebat, nocte vero amputatis ipsorum capitibus, cantilenas ad truncos canebat. Hercules postea monstrum occidit, cadaverque projecit in Mæandrum, ex quo Phrygii messores adhuc Herculem laudantes, ut optimum messorem celebrant cantu, quem Apollidorus cantionem esse metentium ait. In lamentationibus enim cantus, quemadmodum Ialemus, in hymnis Iulus, à quibus genera cantionum appellavere: ita & cantilena metentium, Lytiersis ob id causa est nuncupata.*

Sceleſtæ propterea habitæ nonnullorum domus, & quandoque ut scripsimus combustæ. Plures ut inhospitalitatis luerent pœnas mulctati, ut Leucani dum sub solis occasum venientem peregrinum atque petentem tectum non susceperint, ut legitur in *Ælia.var.lib.4.c.1.* Hinc meritò ecclesiastici puniti, dum ob inhospitalitatem indigni censebantur Episcopatu, non enim necessarium observabant Apostoli præceptum *hospitalis esto.* Memoria vero extat in 3. *D. Io. epist. cap.* 1. Diotrephis illius ob scelera quamplurima, quorum in numero unum fuit, quod impediret suscipi hospites in Hispaniam peregrinationis gratia profectos, Episcopatu depositi scribente *Flavio Dextero*: quem hæresiarcham *Beda* facit *Io.* 1. ejus hæresim fuisse affirmans *Bernard. à Luxemburgo in hæretic. catalog. v. Diotrephes*, quod doceret impendendam non esse peregrinis humanitatem, quãquam id rejiciat *Alphons. de Castro v. peregrinus*, utpote

quia

quia alia hæresi laboraret: & post multos hujusmodi adprobat sententiam *Theoph. Rainaud. Ascet. p. 4 de Amore Nation. & cogn. temper. cap. 5.* Invehitque in Episcoporum Græcorum inhospitalitatem ex Nicephori ad Imperatorem Otthonem legatione apud *Vuithi. lib. 3. in fi.* egregie *Card. Baron.* videndus ad *an. Christi 968. n. 87. vol. 9.*

Hæc autem sunt quæ hibernis vigiliis circa *Clement. de Relig. domib.* ut universi hospitalitatis juris materia suis elucescat numeris absoluta, meditari potuimus, Si quid in eis fructuum respondeat operi, soli bonorum omnium Auctori perpetuum laudum testimonium daturos profitemur; si minus probatum fuerit, ab iis qui plurimum ingenio pollent sententiam exhiberi, secundasque postmodùm curas exspectari desideramus.

Mantissa pro Lectore.

VErè Lector experior, quòd *Canis festinans cæcos pariat catulos*: etenim Typotheta festinus integrum transiliit §. de ritibus in variis Germaniæ urbibus, atque Universitatibus *opifices* ac *studiosos* excipiendi.

Sunt in Germaniæ, præcipuè superioris, urbibus *Fabrorum turmæ*, quæ ejusdem artis *opifices* adventantes certâ recipiunt verborum formulâ: ex pecunia etiam inter se corrasâ unicam iis liberaliter dant dietam, & quandoque si egeni sint, nonnihil pro viatico, ut possint occasionem laborandi faciliùs quærere, laudabili quidèm providentiâ ac hospita-

ſpitalitate, ſic enim non ſemel absque propriæ crumenæ argenteis, univerſam illam Imperii partem circumagunt. *Neo-ſtudioſi* Academici, in locis potiſſimùm Acatholicis, geſtant alibi certum ad tempus ſignum in habitu diſtinctivum, alibi excluduntur à cæterorum conſortio, alibi tecto capite coram iis non comparent, alibi certis deputantur miniſteriis, quam poſtremam ac neglectiorem conſuetudinem per Imperii receſſus, fertur jam antiquatam vel obſoletam. Apud Ubios verò certis in Philoſophorum album referuntur cæremoniis, Tyrones & hoſpites ſuperiorum facultatum candidati (*Beanos* vocant) actione ludicrâ & jocosâ, quam *Depoſitionem* appellant; illâ enim ligneis eos fabrilibus inſtrumentis *larvati* dolant, dedolant, ſecant, aptant velut lignum horridum, ut boves exagitant, aliiſque modis ad bilem & ſanguinem ſæpè tentant. Vexatos ſatis diu, acceptoque ab iis juramento de nihil pecuniæ patrios ad lares remittendo, ſecreta docent Depoſitionis O BEANVS per hanc literarum expoſitionem: *Omnis Beanus Eſt Aſinus Neſciens Vitam Studioſorum*, atque ita lividos communiter *hîc & ubivis locorum Domine vocandos*; venditis ejus rei etiam teſtimonialibus. Audivi conſpirantes inter ſe trium Gymnaſiorum, è quibus velut equo Trojano viros prodere affirmant per totam Germaniam doctiſſimos, DD. Regentes paucos ante annos plures ſuſtuliſſe abuſus, melioreſque in leges redegiſſe. In eadem urbe Agrippinenſi mendicantes olim jucundiſſimè proprium ſibi Regem in Bacchanalibus eligebant, hederaceâ corona ejus capiti impoſitâ, ſtipeque pro eo ſplendidè tractando univerſim collectâ. Exciderant

quoque præclara duo Hospitalitatis exempla: primum *Italicum* Ædis scilicet Lauretanæ sacro cultu celeberrimæ, quæ viris præcipuè Principibus illuc, religionis causâ, confluentibus; gratuitum per Pontificium Gubernatorem hospitium, omnigenà quidem humanitate fultum, præstat. Alterum *Parisiense*; ibi enim penè jam absolutum nuper spectavimus *Stratigomion* pro debilium, seu mutilatorum militum, ac morbo quovis chronico laborantium curâ, ad numerum ultrà decem mille; quod æquare magnificentiâ suâ, ex Ludovici XIV. ærario, Regiam *Luparam* videtur. Plura, non inferiori sanè laudis argumento, scribenda obiter occurrunt de nupera egregiaque benignitate Inclytæ Venetorum Reipublicæ erga advenas quoscunque Romam hoc ipso Jubilæi anno contendentes, quibus humanissimè triendiale gratuitum exhibet hospitium. Verùm de his, aliàs fortasse, accuratius. Quæ tamen hîc traduntur, ut facilè poteris, rogo obtestorque, suo gratiosè placeat loco restituere.



SERIES

SERIES ALPHABETICA MATERIARVM.

In quâ, ne obſonium vincatur, plura minima curioſi Lectoris ſtudio relinquuntur. Numeri vero paginas deſignant.

A.

B.

Chi-

P.

F I N I S.



